


I.C.

Heinrich

W. B.



MYROTHECIVM SPAGYRICVM;

SIVE, Resp P^o XVII - 182

PHARMACOPOEA
CHYMICA,

OCCVLTIS NATV RÆ ARCANIS,
*ex Hermeticorum Medicorum scrinijs
depromptis abunde illustrata.*

Auctore PETRO IOANNE FABRO Castrinouida-
rensi, Doctore Medico ac Philosopho
Monspeliensi.



TOLOSÆ TECTOSAGVM,
Apud PETRVM BOSC, Bibliopolam.

M. DC. XXVIII.

Cum Privilegio Regis.

MYROTHECIVII SEAGYRICVM

PHARMACOPŌEA CHYMYCA

AVCTORE JOHANNES VASCO GARCIA
Monsieur



AVCTORE JOHANNES VASCO GARCIA
Monsieur



VIRO CLARISSIMO D.
IOAN. DE SENAVX
IN SVPREMA TOLOSATVM
Curia Senatori integerrimo.



*Ornienti, an vigilanti
apparere mihi visus est
Apollo, increpansque me,
atque tarditatem meam
suggillans; Quid, inquit,
moraris tamdiu Philochymicorum pigerrime,
rem tuam, meamque, imò publicam,
quantum plurimum potes augere. Placet
nouo quod exstruas templo immorari, id tu
mihi vino Ægyptiorum, Hermeticorumque
marmore fabrica, inibi placet noua in ara,
nouo in tholo, perfundi, etiam nouo thuris
odore: illinc placet vt erumpat occultum
tot seculis naturæ, artisque lumen, mortali-
um cōmodis, gratiaque impendendum. Hæc
ille paucis: sed quæ animos tamen addide-*

re, & morantem concitauere ad fabrilia tractanda, & ad hanc templi molem ædificandam, in qua purum ab impuro, venenum ab alimento, sanctum à profano, lucidum ab obscuro, ex lege tamen artis ac naturæ, suo vnumquodque loco composui. Et meritò tibi, **VIRO CLARISSIMO**, alumno Palladis, alumno Apollinis, pro foribus ac valuis Apollineæ huius ædis insigne, clarúmque nomen esse volui, quia & Apollinem & Palladem amas, teque amant illi. Ne verò quia calūniatorum turba circumstrepet, tu qui in aditu ipso eris, aderis & succurres innocenti, omnium saluti, omnium commodis prospicienti: & quoniam me diligis, imò quoniam vis & potes, maleuolorū in me dicta factaque refelles atque comprimes. Vale, Castronouarry, ad Calendas Iulij, anni 1627.

Tui obseruantissimus seruus

P. IOANNES FABER,
Philochymicus.



MYROTHECII SPAGYRICI,

OCCULTIS NATURÆ ARCANIS,
ex Hermeticorum Medicorum forinjs de-
promptis, abundè illustrati,

LIBER PRIMVS.

*De Spagyrica artis introductione in
Medicam artem.*

CAPVT I.



ARTEM compleri & perficī
posse, vnius esse hominis, ita
vt nihil addi possit non solūm
insipientis est concipere, sed
& temeritatis insigne symbo-
lum est tentare, cūm vita bre-
uis sit, vnaquæque verò ars
longa, ο βίος βραχύς, η δ' ἄρ-
τις χη μακρὴ ex Hippocratis oraculo. Fertur Hip-
pocratem tantūm medica valuisse arte vt in ea ni-
hil potissimum ignoraret: at id eximæ & hyper-

*Arte
nes imperfe-
ta & incō-
pleta sunt.*

bolicæ laudis est potius, quàm debitæ. Tantum quidem potuit Hippocrates in sua arte, vt omnibus sui temporis medicis præcelluerit: tantumque adhuc præcelluit, vt nemo medicorum huc vsque culmen suæ perfectionis attigerit. Nihilominus tamen impræsentiarum perquam multa sunt quæ ipsam medicam artem adeò decorant, vt si veterem medicinam recenti æquipares, Medeidibus herbis rugas deposuisse dixeris, & florentissima, & consistenti vigere ætate: quorum tamen omnium, salua tanti viri fama, obliuiosus fuerit Hippocrates: hæc sunt centena medicamentorum genera, quorum benignitate gaudet vniuersa medicinæ facultas, quòd sint ægrotantium delicatorum benigne solatium, quæ tamen omnia tẽpore Hippocratis, ex medicorum incuria in disquirendis naturæ arcanis, & diuersis terræ plagis, ignota erant: Non enim Rheubarbarum amaram adhuc purgauerat bilem, nec Sena acetosum lienis succum, nec dulcem pituitam Agaricum, nec Cassia, nec Saceharum, nec Manna, Pharmacopolarum pixides impleuerant, nec infinitæ herbarum species, nec flosculorum fere myriadum variegatæ imagines & icones, hortulos botanicorum illustrarant, & oculos hominum deluserant. Hac jam medica supellectile, in ægrorum commoditatem, & solatium abundamus, qua tamen seculo Hippocratis indigebamus. Luxuriabat vndique ellebori, peplij, & colocyntidos seges, ad morborum fere omnium curationem; jam verò benignorum nostrorum medicamentorum dulces halitus, feroces antiquorum medicamentorum impetus adeò depresserunt, vt in mor-

borum curatione, ad gustum gratissimas paratas potiones exhibeant medici, ita vt morbi fero jam sint hominibus delicijs potius quàm dolori, quòd ratione medicamentorum dulcium cum delicijs curentur. Addam & ego seculi istius medicamentorum fertilitati & copiæ, Spagyricam artem, quæ ab antiquitatis antris euocata, Medicinam adeò decorat, vt eius gratia, summum perfectionis attigisse dicere iam possimus. Purum enim illud, quod centro mixtorum occultatur, quòdque solum naturæ sedes est, & totius Medicinæ fundamentum, videri nec haberi potest absque Spagyricæ artis adminiculo, cuius solius est, illud purum cognoscere, notum à centro mixtorum extrahere, reiectis extraneis, & extractum ægrotis porrigere. Viguit hæc ars inter arcana Ægyptiorum, nec nota fuit omnibus, sed sacris, & primogenitis Ægyptiorum, tanquam vnicum & indelebile & incorruptibile familiæ patrimonium, à quo pecuniæ, & thesauri perennes scaturiebant. Floruit tempore Hermetis Trismegisti in Ægypto, circa annum mundi 2434. Deinde à Democrito tempore Hippocratis circa annum mundi 3537. inter arcana Democriti, ab Ægypto in Græcos translata fuit, & ab eodem Democrito, in medicinam introducta. Primus enim inter Græcos distillandi peritus fuit Democritus distillationis autem peritiam didicit in Ægypto. Hippocrates verò etsi summus in sua arte, quòd Ægyptiorum sacris initiatus non fuisset, quòd barbara secreta negligeret, distillandi illam peritiam non nouit. Ideoque inter scripta sua, nullas aquas distillatas reperies. Auri tamen potabilis

Quo tempore viguit Alchimia, & quis primus inter Græcos fuit Alchymista.

Hippocrates cur ignarus fuerit artis Spagyricæ.

8 *Myrothecij Spagyrici,*

rudem aliquã videtur habuisse notitiam, cum lib. 1. de diætâ dicat: Aurum operantes tundunt, lauant, molli igne liquant, forti autem non conflatur; vbi verò elaborarunt, ad omnia vtuntur. His verbis ænigmaticis auri solutionem chymicam intellexisse videtur. Galenus tamen, et si ignarus spagyricæ artis fuerit, acumine ingenij sui subolfecit nonnulla quæ ad artem spagyricam pertinent, quorum si perfectissimè peritus fuisset Medicinam nobis dedisset auctiorem quàm fecerit. Libro enim vndecimo, de simpl. medic. facult. capite vndecimo scribit: quæ tenuium sunt partium medicamenta, ijs quæ sunt crassarum partium, plus habent efficacix, etiam si parem sortita fuerint facultatem, nimirum quia melius penetrent. Calidam etiam & ætheream vini substantiam separare summopere desiderauit, eiusque separationis adinuenire secretum. Nam tenuissima illa pars vini efficacissima fuisset ex ipsiusmet ratione & argumento. Nos iam, hæc quæ non potuit excogitare Galenus, tenemus & scimus, & longè plura, adminiculo spagyricæ artis. Crassa etenim & quæ nullas fere habent agendi facultates ità attenuamus, vt attenuatione, potentissima euadant medicamenta. Quin & medicamenta ipsa intrinsecè permutantur, nam Cathartica, sudorifica fiunt; stiptica diuretica, & ea cathartica rursus. Et ea quæ temporalem seu annualem habent agendi potentiam, quæ anno peracto & mense suis omnibus agendi energijs perfunguntur & sterilia fiunt, in tantam excrescunt agendi porentiam, vt nunquam fere senescant, sed virili semper polleant

*Medicamentorum
Spagyricorum
laus.*

facultate, modò præparationes spagyricas subierint. Hæc omnia tempore Hippocratis hominum ignauia sepulta erant, & ideò Medicina non adeò clarior hisce temporibus vigere potuit, quàm iam viget, etsi Apollinem, Æsculapium, & Machaonem, & Hippocratem, & Galenum cantet antiquitas. Si iam hi reuiuiscerent, hisce seculis inuenirent homines thure & laude seipsis digniores, & adhuc posterioribus seculis floreant alij, omnibus præstantiores. Vnaquæque enim ars, & scientia infinita est, cum ab infinito, nempe Deo originem habeat, ideòque in dies Dei benignitate crescit, seu patet eius notitia.

*Cur in dies
scientia no-
tior fiat.*

Quod medicamenta chymica Medicinam decorent.

C A P. I I.



VNT qui adeò futili, & inani ludibrio habent medicamenta chymica, & omne quod chymiam sapit, vt à primo limine toruis aspiciant oculis, & fastidiant illico: hos omnes Caput istud ferit & lacinat. Sunt enim canes rabidi quos lumen & splendor Lunæ nostræ offendit & angit, ad quam allatrant & vlulant, sed eorum irriti sunt vlulatus, cursus lunæ nostræ non retardatur, nec eius offenditur lumen, quin irradiet Medicinam, ægrotantium solatium, & quietem:

*Medicina
quid.*

*Ar-
na-*

qua enim ratione lumen istud obscurari posset, eorū calumniis & inanibus verbis, quod in infimis terrarum antris, diu noctūque perluceat, quod occasum nesciat vllum, sed orientis radij fulgore semper perlustretur; nescit mortem, etsi circa illud, & per totam sui centri circumferentiam mors vigeat. Purum naturæ, medicinæ basis & fundamentum, lumen istud appello, quod luminis omnis sit author, & sit lumen ipsum naturæ: istud Purum Chymia docet, quærit, & inuentum pro summo medicamento & archipanacea custodit: in omnibus naturæ mixtis Purum istud conseruatur, tanquam formæ mixti sedes. At in his omnibus plus est impuri & heterogenei, quàm puri illius, de quo est sermo, ideoque qui nullis aliis præparationibus quàm naturalibus, purum istud ægrotis porrigunt plus morbo fauent, quàm fanitati, quòd plus impuri porrigant quàm puri. Purum enim natura minimum produxit, copiosum verò & maximum impurum: ex creatoris maledictione in naturam, quæ iam tribulos & spinas hominibus parit, & producit. Datum est homini iudicium & ratio, qua excogitet tribulos illos, & spinas euellere, vt solo naturæ puro gaudeat. Quod Purum datū illi erat, ad vitam ad gloriam, ad ornamentum, ad delicias, & ad alias vitæ suæ amœnitates; Impurum verò propter peccatum suum, ad dolores, ad morbos, & ad alios infinitos humanæ vitæ angores. Medicamenta ergo chymica, quia Purum istud naturæ purum putum habent, (aut rite præparata non sunt, nec in catalogum medicamentorum referri merentur, si lumen istud naturæ ab omnibus tenebris denu-

datum non contineant) possunt ne cum tali lumine Medicinam obscurare, aut eam ipsam deturpare? ut clamitant nonnulli Medicorum pallio tenus & toga, qui modò digitis, aureis annulis ornatis, & bene curata pectili barba, & cæsarie, & lingua volubili se ægrotis præbeant, & ostendent, nihil aliud curant. Medicamenta non solum subtili indagine, sed etiam summo corporis sudore perquiri possunt: delicatas vobis displicet carbonibus inficere manus, ideò sibilo exploditis id omne, quod sudore & labore improbo paratur: bonum tamen posuere dii sudore parandum, quod solum in Medicina quærendum est, nec per odium reiiciendum, minusve vnius in alterum conuitiis exprobrandum. Quin potius omnes conatus, & studium nostrum in laudem Dei, & proximi vtilitatem dirigendum est, ut optimis remediis humanam miseriam solemur, & artem experientiis comprobemus, quò in dies Medicina certior & excultior euadat. Ad quem solum scopum collimant chymici omnes, posteritati prodesse cupiunt, ut eorum lucubrationibus, & laboribus, aliquid leuaminis & solaminis habeat, ne in posterum humana corpora tot & tantis crassis potionibus grauentur, quamobrem excogitarunt remedia, quæ parum materiæ, & multum formæ habent, morbis fere cunctis conuenientia, citò, tutò & iucundè purgantia, ut passim in toto hoc volumine manifestissimè experientia comprobatur.

*Chymicus medicus
ad quid uer-
gat.*

Medicamentum quid sit.

CAP. III.

*Medica-
mentū quid
sit.*



A L E N V S primo de simplicibus me-
dicamentorum facult. cap. I. genera-
liter Medicamentum dicit id omne
quod naturam nostram alterare potest.

Nos verò exactiùs medicamenti natu-
ram examinando, Galeni definitioni addemus
paucula, quibus medicamenti substantia notior
erit, & similibus construemus verbis: Medica-
mentum est purum naturæ, quod naturam no-
stram læsam & morbo afflictam alterando succur-
rit & iuvat: si nudis enim & crudis tantum ver-
bis Galeni nihil addamus, Venenum etiam cum
medicamento confundemus. Venenum enim na-
turam nostram alterat & immutat; at venenum in
peiùs, medicamentum verò in melius. Neque me-
dicamentum naturæ nostræ contrarium esse de-
bet, nam si esset, morbo esse non posset, cui ta-
men contrariari & aduersari natum est, pariter ac
natura morbo est contraria: vnde medica-
mentum simile naturæ esse debet, & morbo
contrarium, & hoc pacto Hippocratica & Spa-
gyrica axiomata de curatione morborum, quæ
aiunt, Contraria contrariis rite apposita curantur,
& Similia similibus conseruantur, nullū habebunt
dissidium, at idem sonabunt. Purum autem natu-
ræ solum esse posse medicamentum asserimus,

*Medica-
mentū mor-
bo contra-
rium esse de-
bet, non na-
turæ.*

*Medica-
mentum est
purum na-
turæ.*

quod illud solum sit actionis capax & virtutis; est autem agendi principium propter formam, quam secum continet & fouet, nec vnquam formæ corrumuntur & abeunt in chaos naturæ, quamdiu purum naturæ prædominatur impuro, & excrementitio recremento: si verò istud præualeat puro naturæ statim oritur corruptio, vt per corruptionem, excrementa nimis copiosa separentur & addatur de nouo ex Cælo & astris descendens purum naturæ, quod veteri & sensili coniungitur & reparat illud, & sic regeneratur, non sub eadem forma quod ex tali corruptione purum, non deueniat ad eundem gradum perfectionis, & puritatis, qui gradus formarum differentiam pariunt & generant.

*Formarum
differentia
quid faciat.*

*Quæ differentia sit inter Medicamentum,
Alimentum, & Venenum.*

C A P. I V.

ALIMENTVM est purum naturæ, quod reparat purum naturæ deperditum, & à calore naturali suo consumptum, vt hac refocillatione & reparatione, ea omnia quæ egent alimento conferuentur, & diutius perdurent. Venenum vero è contra, non est purum illud, de quo esse omnium fit, & conferuatur, sed est impurum & excrementitium quid in mixtis puro contrarium: vnde si purum conferuet, & foueat vitam, vene-

*Alimen
quid.*

*Venenum
quid.*

num destruet, ac disperdet : vnde Venenum definiti potest, id omne quod vitæ fundamentum & basim disperdit & destruit sua contrarietate : vocamus impurum venenum vt clarissimè intelligatur, quod residet & latitat in mixtis venenatis, non omne esse venenum, sed tantùm illud ipsum quod puro contrarium est, quod cùm semper in quibusdã naturæ mixtis præualeat, ideò illa mixta venena sunt. Quod si præparatione impurum illud auferatur, venena, alexiteria fiunt medicamenta, & cardiaca summa euadunt, quòd purum putum illud quod latitabat in mixto venenato impuro contrarium, vitæ sit fomes, & propugnaculum, nec vnquam venenari potest, nisi ratione excrementi, quo trugere potest. Id manifestum est in serpentibus ferè omnibus, & venenis tum animalibus, vegetalibus & mineralibus, è quibus omnibus Spagyrici Philosophi, suis præparationibus eliciunt summa medicamenta alexiteria, vt clarum est, ex præparatione Viperarum, ex præparatione Tithymali, Elatiris & Ellebori, ex præparatione Mercurij, Antimonij, Arcenici, & aliorum multorum mineralium, è quibus omnibus mira eliciunt medicamenta Spagyrici. Medicamentum ergo, medium inter venenum & alimentum, ab his duobus differt : primùm à veneno, quòd non noceat naturæ, sed potius læsæ & afflictæ succurrat. Ab alimento, quòd quamuis succurrat naturæ, nihilominus tamen succurrendo in eius substantiam reparando non transeat, vt alimentum agere solet. Sunt quidem medicamenta quædam, quæ vtriusque naturam, tum alimenti, tum medicamenti participant : at illa medi-

Medicamentum quæ ratione differat ab alimento & veneno.

camenta id agunt, quòd leuissima sint, & vim omnem suam in expellendo morbo non expendant; at quamprimùm naturæ coniuncta sunt vt vnà morbum expellant, ex proxima & fere immediata similitudine quam habent cum natura, conuertuntur in ipsam substantiam naturæ, relictis quibusdam qualitatibus leuissimis morbo contrariis, quibus natura in morbum agit, & sibi ipsi succurrit: vel natura ita roborata, vi sua innata morbum expellit, vt agere solet magno elixire roborata.

An medicamenta chymica ceteris omnibus sint præstantiora.

C A P. V.



ERTISSIMVM est & luce clarius naturam nihil producere perfectum, & omnibus numeris absolutum. Si maculæ ergo & imperfectiones naturæ, arte corrigi possunt, quod Ars perficit, perfectius est eo, quod natura producit: habet enim Ars id omne, quod natura habet, perfectam sumit enim ex ea naturam: & præterea cum perfectum illud naturæ, habeat aliquid manci, ars delet, & aufert, & perfectum illud, quod obscuratum erat vitijs suis & maculis naturalibus, postquam ijs arte denudatum est, perfectius esse videtur. Natura quæcumque producit Medicamenta, siue mitissima sint, siue for-

Medicamenta chymica quæ ratione ceteris præstet.

tissima, aliquid semper dat illis connatum, quod medicamento contrarium est; in Rheubarbaro id claret, habet enim secum naturam quamdam terrestrem & siccam, quæ medicamento repugnat, eiusque vires retundit, imò destruit. Tenus enim illa substantia aërea & tamen quæ residet in Rheubarbaro quæ sola vim purgatricem habet, omnino contraria est, alteri substantiæ terrestri, & stipticæ. In elleboro verò, Colocyntide, & scammonæa, latet substantia quædam, acris, mordax, pungens & adurens, qua ventriculus & intestina adeò vellicantur, vt ab eorum potu inflammationes incurrant vehementes ægroti, quibus aliquando mederi non est possibile medicis, qui ignorant, qualitates illas infringere, & substantiam illam permutare. In Antimonio verò & Mercurio, occultatur cruda quædam substantia, quæ vniuersam corporis œconomiam disturbat, nisi auferatur. Si tamen illæ substantiæ separentur ex his omnibus medicamentis, quæ propter illas ipsas substantias, è pharmacopolarum thecis eliminantur, mira fient naturæ balsama, & purgantia medicamenta, quibus natura solatium capiet ingens, vt in sequētibus Deo dante docebitur. Si ergo nihil naturale ex omni parte beatum sit, & egeat arte, vt perficiatur; aut saltem quod perfectionem impedit & retardat, ab arte deleri necesse est, vt quod perfectum est videri possit, & vires pandere suas, quid impedit, quin medicamenta chymica cæteris omnibus sint præstantiora, cum præter perfectionem quam à natura obtinuerunt, ab arte chymica vindicentur ab omnibus,

In medicamentis purgantibus qua lateant substantia contraria.

omnibus, quæ perfectionem illam obscurare possunt, ita ut, ab his vindicata, perfectiora videantur, cum nihil contrarium obtineant. Ab his etiam vindicata, actiones habent fortiores, & efficaciores: actiones enim omnes sunt à forma, actionum præstantia à nobilitate formæ, nobilitas formæ, à pura & nitida elementorum compositione, qua tanquam pyxide in inferiori mundo detenta concluditur & conseruatur. At chymia ad id solum inuenta est, ut separet purum ab impuro, purum conseruet illæsum. Sic illius puri forma præstantissima erit ex pura elementorum compositione, & proinde actio erit efficacissima, & consequenter medicamenta similiter erunt præstantissima; cum nobilitas à nobilitate & præstantia actionis dependeat. Addam præterea in medicamentis chymicis nihil contrarij & aduersi reperiri, ut in alijs, à quibus communis & vulgaris pharmacopolarum methodus, partes viribus aduersis, & contrariis præditas separare non potest, nec pura ab impuris, salutaria à non salutaribus: quis enim eorum, Arsenicum, Mercuriumque sublimatum maxima etiam dosi, nullo præbilito antidoto, ut chymicorum multi faciunt ebibere tentabit? Itaque medicamentorum chymicorum excellentiam propter eorum puritatem, quam chymix beneficio, pyronomix legibus, & regulis, sibi vendicant, cæteris omnibus antepone non erubescam.

*An Medicamenta Chymica fortiùs alte-
rent Naturam, ac perturbent
reliquis alijs.*

C A P. V I.

*Medicamē-
ta Chymica
non pertur-
bant natu-
ram.*



NESCIO quo fato factum sit, infinitos esse Medicos Hippocraticos in id erroris & opinionis deuenisse, vt Medicamenta Chymica, inter deleteria collocent. Nescio an id euenerit ex temeraria quadam Antimonij & Mercurij malè præparati exhibitione quorundam chymicorum, qui omnibus ferè morbis præcipitatum quemdam Mercurium, & in vitrum fusum & liquatum Antimonium porrigunt & exhibent: quos omnes ex schola Chymicorum eliminandos, imò ex physica chymica omnino derudendos, & in perpetuum exilium relegandos, nec vnquam reuocandos censeo. Mercurius etenim & Antimonium, sic præparata, maiorem quàm antea possident acrimoniam qua vellitant ventriculum & intestina: nihilominus tamen ex imperita nonnullorum Chymicorum præparatione, hæc medicamenta contemni non debent, nec multò magis alia, non secus ac Bucephalum Alexander non contempsit ex imperitia | rasecti equilis, sed ipsemet considerata equi natura, mira arte sinè verberibus tractauit equum, & tandem cõscensum ad cursum admisit, tum calcibus vtus

est, & molliter flexis habenis, equum eduxit & docuit, quem planè tamen nullus adhuc tangere præferitate ausus fuerat: sic dicere possumus de medicamentis Chymicis, si rite non præparentur ferocissima sunt, & naturæ nocent potius quàm profint. Antimonium quidem & Mercurius vt à natura producuntur venena sunt, & deleteria, propter crudum humidum radicale quod habent, quod coquendum est, (non est tamen Antimonium & Mercurius totus crudus & incoctus,) habent partes secum heterogeneas, coctas aliquas, aut saltè minùs crudas, quàm alias; alteras verò omnino crudas, quas separare oportet, aut saltem miro pyronomix artificio ad coctionem quandam perducere, & sic deleteria non sunt, & tuto offerri possunt infinitis fèrè morbis, quibus mæderi tantùm possunt hæc medicamenta. Quòd si hæc prædicta medicamenta, & alia infinita, quæ vt à natura producuntur, deleteria sunt, arte Chymica possint ità præparari, vt deleteriam illam facultatem amittat, & in benignissima medicamenta, & balsama abeant, quæ fieri potest vt fortiùs alterent naturam, ac perturbent, reliquis aliis naturalibus, quæ nulla alia præuia præparatione porriguntur, quæ secum habent omne quod aliquando deleterium est, & venenum: imò ego ipse tanquam testis oculatus asserere possum Spagiricam artem tantùm valere, in moderatione, & melioratione medicamentorum ferocissimorum, vt ex ipsis venenatissimis naturæ mixtis verum Saccharum & Mel elici possit, quod erit summum naturæ alimentum & condimentum; nihil enim in rerum natura, reperiri potest, quin incinerari pos-

*Quid in
Antimonio
& Mercurio
separandum est.*

fit, & in Salem conuerti: ex Sale autem illo puro & puro, spiritus elici possunt, qui humiditate superflua relicta, abeunt in crystallos saccharo & melle dulciores. In sequentibus hæc methodus clariùs docetur, & manifestum est his omnibus, qui spiritum Salis elicere norunt. Quamobrem deponant quæso hi omnes, qui existimant medicamenta Chymica deleteria esse, ex animo illam opinionem; nam mitissima sunt vt ratio dicat, & si rationi credere nolint, experientia ipsa saltem coget eos mutare sententiam.

An in preparatione Medicamentorum Chymicorum Cæli ratio sit habenda, & considerandi Planetarum influxus.

C A P. V I I.

*Cæli agunt
in inferiora.*



SUPERIORA in inferiora agere nemo Philosophorum ambigit, quod enim oculis ipsis cernitur, negari nõ potest; videmus siquidem singulis annis redeunte ad nos sole plantas emortuas, & arbores tabidas & exsuccas reuiuifcere, & viridem & succulentam induere pellem, quo potissimum tempore plantas & arbores succo abundant vitali, quod sole rarefactis terræ poris, alimentum copiosius ascendat ad radices plantarum & arborum. Nec solùm arbores & plantæ, aduentum solis persentiscunt, sed & animalia omnia; veris enim tempore ad prolem excitantur potiùs, quàm alio tempore, quòd semen eorum eo

tempore potissimum turgeat spiritibus animalibus solis aduentu adactis. Quin & mineralia etiam solis agnoscunt præsentiam, efflorescunt etenim copiosius, & mineræ copiosiores emittunt vapores, veris tempore, quàm alio quouis: hinc certum est omnia tunc temporis radicali turgere succo, ac multo maiori, quàm alio quouis tempore: vnde non ambigendum vlllo pacto est, quin collectio medicamentorum tunc temporis plus valeat, quàm alio tempore, & præparatio identidem; nam purum quod quærimus in mixtis, vt medicinæ seruiat, copiosius est eo tempore quàm alio. Addam ego, quod & spiritus volatiles cælestes, qui è cælo descendunt in terram, ad conseruationem mixtorum, copiosiores etiam sint, vnde non solum terra, & aqua, turget illis spiritibus, sed etiam aër, & vniuersum cæli concavum, spiritibus vitalibus abundat: hinc fit vt in præparatione medicamentorum chymicorum, dum à mixtis partes vitales à se inuicem separantur, similia similibus iungantur per sympathiam & amorem, & crescat purum mixti purificandum & præparandum, conuocatis ad se cæli spiritibus vndiquaque vagantibus. At id in genere dictum sit, de præparatione medicamentorum: generaliter etenim omnia crescunt veris tempore; at quia diuersa sunt mixta, & singula, singulas habent formas, & proprietates diuersas, diuersaque humida radicalia, quæ peculiari aliquo signo cælesti subiunguntur, quod cum tali humido radicali habeat sympathiam, & connexionem quandam, qua humidum particulare mixtorum crescit & viget, modo signum suum cæleste supra horizontem luceat,

Omnia vere spiritibus abundant.

& benignissimis fruatur solis aspectibus: quapropter, ad debitam & exactam mixtorum chymicè præparationem, non solum ver expectandum est, sed particularis & peculiaris planetarum & stellarum ortus contemplandus est; & potissimum ortus, & occasus planetarum qui sympathiam & connexionem naturalem habent cum mixtis præparandis: exempli gratia, nunquam ferrum præparandum erit, vt ex eo crocum, oleum, tincturam, salem facias, quin Mars planeta supra horizontem cum solè colluceat, & illius benignissimis fruatur aspectibus & sint ambo si fieri potest in domo Leonis, vel Arietis. Sic & plumbum, nisi cum Saturno, Sol connectatur in Aquario, vel Capricorno, supra horizontem: nec ex stanno vllam essentiam extrahere, nisi cum Iupiter Soli connectatur in Piscibus vel Sagittario: & sic de reliquis omnibus quorum dum de particulari agemus methodo, clarissimè id docebimus; sic enim extracta, essentia, magisteria, & arcana chymica, stupenda erunt; virtutem siquidem fortissimam tunc temporis acquirunt.

Ferrū quomodo præparandum.

De Magisterijs animalium, & primò de essentia sanguinis humani.

C A P. VIII.

Sanguinis arcanum.



COLLIGATUR sanguis humanus ex Adolescentibus sanis, florido viuidòque colore præditis, & quadratæ staturæ hominibus, Mercurio supra hori-

zontem cōiuncto cum Sole, in Geminis, vel Virgine, quod solet potissimū contingere intra menses Maij & Augusti, singulis annis, vt ex ephemeridibus clarum erit cuilibet rimanti. Colligatur autem maxima in quantitate in vasis argenteis, aureis, vel saltem vitreis, & custodiat in vmbra coopertus, ne puluere sordido, & festucis contaminetur, donec concrescat, & serosum humorem omnem per se evomuerit, quem per inclinationem eijcies, & à sanguine concreto separabis. Huius sanguinis concreti, & à seroso humore separati, accipe libras saltem quinque. quas citò permiscebis cum libris decem optimi spiritus vini à phlegmate puri, & simul cōiunges in phiala vitrea fortissima, mouendo & agitando materias, vt diluatur sanguis, & perquàm optimè permisceatur spiritui vini. Hanc materiam optimè clausam in balneo tepido, aut cineribus tepidis digere per quatuor aut sex dies, donec spiritus perquàm optimè tingatur, & sanguis sit omni ex parte dissolutus: Caue ne in digestionem calor inualescat supra naturalem calorem, quia tunc temporis sanguis coqueretur, & concresceret magis, nec dissolueretur. Dum dissolutus est sanguis, superpone phialæ caput alembici, & distilla lentissimo igne, & separa spiritum vini, donec guttæ stillantes incipiāt lactescere: tunc temporis vas recipiens mutando, ignem pedetentim augebis, donec cesset distillatio, qua cessata ignem iterum multiplicabis, vt Sal niue candidior ad caput alembici conscendat: hunc Salem custodies & aquæ lactescenti prius egressæ coniunges. Feces deinde residuas fortissimo combures igne tamdiu donec albescāt.

Ex his Salem elicies cum vini phlegmate puro & nitido ter aut quater distillato, sequenti methodo: Accipe has feces calcinatione albefactas, & his superpone phlegmatis vini maximam quantitatem & in catino argenteo vel stanneo bulliant (caue ne in cupreo) per horam: bullitione peracta & aqua frigefacta, impone phialæ, vt feces decidant omnes in fundo: deinde per inclinationem quod clarum erit effunde in alembicum & distilla, ad siccitatem vsque: Salem iterum violentissimo calcina igne, & solue vt prius, & congela, & opus simile reitera, donec summopere nitescat Sal, & purus putus, & clarus sit valdè. Hunc Salem phialæ impositum optimè obturata, reuerberabis in furno reuerberij, per quindecim dies, aut plus, donec colorem rubeum acquisuerit: hunc Salem benedictum, coloratum, & tinctum dissolue in spiritu vini, quem separasti à tuo primo sanguine, dum sanguis cum eo digerebatur, & ponatur simul in digestionem lentissimam, donec perquam optimè tingatur spiritus vini: tinctum spiritum vini, clarum & nitidum per inclinationem effundes in alembicum, & in balneo lentissimo igne distillabis, donec cesset distillatio: tincturæ deinde quæ in fundo remansit, adde Salem volatilem sanguinis quem coniunxisti cum aqua lactescente quam custodiendam præcepi. Sic autem Sal iste, & aqua lactescens septima distillatione purificata, antequam coniungantur: coniuncta simul deinde circulentur lentissimo igne, & singulis octo diebus superposito capiti alembici vase circulatorio, separetur quicquid aquosum extrahi poterit, quod est reseruandum

pro summo arcano, in omnibus affectionibus oculorum: dum aquosum istud omne erit separatum, quod in fundo remanet custodiendum est, pro summo sanguinis arcano, & quinta essentia. Potest etiam breuius, sed non efficacius parari hoc arcanum, si Sal volatile sanguinis purum putum separetur per sublimationem à sanguine, & in lentissimo igne ouo vitreo, optime clauso fixetur, donec colorem rubeum acquirat.

Vires & Vsus Arcani Sanguinis.

1. Balsamum est summum & vires naturalis balsami longe superat, tum in conseruandis à corruptione corporibus, tum in sanandis vulneribus cuiuscumque generis, tum in curandis vlceribus quibuscumque, intrinsecè sumptum, & extrinsecè admotum.
2. Aduersùs pestilentem auram, dum omnia fere remedia negligit fortissima pestis, summo-pere efficax, & præseruatiuum.
3. Leporam incipientem sùsque deque tollit: antiquam verò mitigat eiusque ferociam reprimat, adè vt vita longiori fruatur leprosi, arcano prædicto vtentes.
4. Paralytin & omnes neruorum affectiones extrinsecè admotum, & intrinsecè sumptum certissimè curat.
5. Podagram, quamcumque Arthritidem illico, & quàm citissimè lenit, & frequenti vsu tutissimè sanat, & iucundè.
6. Hecticis, phthisicis, catharrois & tussientibus, summum est, sanitatis asylum.

Vires arcani sanguinis.

7. Hemicraniam, & quemcumque capitis dolorem frequens eius vsus tandem disperdit.
8. Quartanam, & omnem melancholiæ speciem curat.
9. Intellectum & omnes sensus acuit.
10. Senectutem fortissima iuuentutis conseruatione, prohibet: canitiem retardat.
11. Vulnera & vlcera interiora, & exteriora breuissimo conglutinat tempore.
12. Omnibus demum morbis accommodatur; & vires æmulatur fixi vitalis spiritus, ex centro terræ deprompti, quem antiqui omnes Philosophi vitæ nostræ verum & vnicum propugnaculum dixerunt, & aurum Dei, quo vtitur Deus vt omnia redimat à morte & annihilatione. Vtus arcani sanguinis, sumitur cū aquis cinnamomi, anisi in iusculis, cum theriaca tempore pestis, ad quantitatem ʒ. j. ieiuno ventriculo.

De quinta essentia Cranij humani.

C A P. IX.

*Arcanum
cranij hu-
mani.*



V M A T V R Cranium humanum sepulturæ non datum, eò quòd Sal terræ his sepultus cranij illico coniungitur. Et caro dum resoluitur per corruptionem in Salem abit qui ossa penetrat, & sali ossis conue-

Etitur, aut si longius ambo permaneant corrupitur tandem cranium, & dissoluitur in corruptionem, quia sal tum internus, tum externus corrodunt illud, & dissoluant. Sumatur ergo Cranium quod diu noctuque cæli aperti, & lous frigidi iniurijs expositum est. Contundatur in frustula & ollæ nouæ non vitreatæ imponatur, cooperiatur suo tegumento, & comburatur fortissimo igne, donec optimè candescat. Calix istius Cranij adhuc igne candens proijciatur in aquam Pæoniæ, aut florum Tiliæ arboris, aut in phlegma vini depuratum, & ter saltem distillatum, cui dissolutum sit parum salis vitrioli secundum artem, & methodum nostram inferius suo Capite, tertij libri relatam: deinde auferatur & iterum plusquam fortissimo igne comburatur & calcinetur, & candens adhuc proijciatur in eandem aquam & simul per sesquihoram bulliant in catino stanneo, aut argenteo. Bullitione frigida facta, aquam impones vitreo vasi vt feces seponat. His sepositis, aquâ clarissimam & limpidam factam, per inclinationem in catinum stanneum aut argenteum, aut vitreum alembicum effundes, ad euaporandum quicquid erit humiditatis. Sal in fundo remanens calcinabitur fortissimo igne in tigillo forti, & adhuc calens & candens proijciatur in aquas supradictas: iteretur opus donec sal ad summam deuenit puritatem & nitorem, quod in septima saltem calcinatione continget: habito huic sali puro & nitido coniunge spiritum dulcem vitrioli (fit autem dulcis si eum rectifices cum spiritu vini optimo, & à phlegmate puro) & serua in vase vitreo perquam optimè clauso, aut si distilles su-

per limaturam ferri ter aut quater, aut super coralla rubea.

Vires essentia Cranij humani, & Usus.

Vires & usus arcani cranij humani.

1. Mirum & stupendum arcanum est, contra inueteratas, & recentes epilepsias, per idiopathiam capitis, & communicationem aliarum partium inferarum, vapores sursum ferentium contractas.
2. Hemicraniam & vertiginem curat, ex quacumque causa ortum habeant.
3. Omnes sensus tum externos, & internos acuit.
4. Membrorum tremori succurrit, & conuulsionum omnium speciebus.
5. Passionibus tandem omnibus capitis, tum frigidis, tum calidis, occulta quadam proprietate medetur.

Sumitur manè, jeiuno stomacho, cum optimo vini spiritu, & noctu eundo cubitum, modò digestio peracta sit, hoc est tribus horis à cibo sumpto.

De quinta essentia ossium humanorum.

C A P. X.

Arcanum ossium humanorum.



V M A N T V R ossa humana, quæ per annum saltem terræ absconsa non erunt, abstergantur à puluere, & vino perquàm optimo madefiant in frustula contusa, per octo dies. Deinde ex his distilletur oleum per descensum, quod

septima distillatione per retortam erit rectificandum, vt penetrandi summam acquirat potentiam: feces seu caput mortuum, quod remansit in distillatione per descensum, fortissimo combures igne, & ex calce illius elicies Salem cum aqua ebulli. Purificatus hic sal nitidus & purus, coniungendus est cum oleo suo, & incorporandus, quod facillimè fiet, modò Sal nitidus sit, & oleum summopere depuratum. Hæc autem coniunctio si fieri potest ad maiorem efficaciam facienda est, dum Sol arietem ingreditur, quod fit vigesima prima die Martij, vniuscuiuscumque anni, similisque coniunctio obseruanda erit in Sale cranij humani cum spiritu vitrioli dulci. Tunc enim temporis partes omnes solidæ corporis humani succulentiores sunt, & plus humidi habent radicalis, quàm alio quouis tempore: addam quòd capiti Aries prædominationem quandam, & irradiationem vim inferentem habeat, & cum à capite, saltem à cranio, ossa omnia habeant originem, siquidem spinæ dorsi connectuntur, & spina capiti: ex consequenti Aries etiam omnibus ossibus vim inferet, & potissimum dum Soli coniungitur.

Vires & vsus essentie ossium humanorum.

Non datur in rerum natura potentius medicamentum ne dicam balsamum prædicto, ad curandos & sedandos quoscumque dolores arthriticos: cariem etiam citissimè tollit & omne ossium vitium corrigit. Applicatur autem tepidè balsami more cum gossipio partibus affectis: ad curandam autem arthritidem, purgandum erit corpus

Vires arcani ossiū humanorum.

prius ter aut quater, pillulis ex Mercurio Spagyricè præparato, cum quibusdam gtanis extracti ellebori, & tunc temporis mirandos videbis effectus.

De quinta essentia humanae carnis.

C A P. XI.

*Arcaenum
humana
carnis.*



Hæc essentia mira est, & æquiualeat arcano sanguinis, sed pauci sunt qui eius rectam & debitam sciant præparationem. Theriaca est summa, & præualeat omnibus Theriacis, & serpentum omnium carnibus, quocumque modo præparatis: Similia enim similibus congaudent & conseruantur; modò illa quæ conseruandis corporibus destinantur, incorrupta sint: incorrupta autem fit humana caro, sequenti methodo. Sumatur caro humana, Adolescentis hominis violenta morte, ex iustitia perempti; laudati sanguinis, & quadratæ staturæ si fieri potest, Sole Virginem ingrediente ad quantitatem librarum saltem trium, ex erure, lumbis, aut natibus, proijciatur in optimum, & ab omni phlegmate depuratum vini spiritum, quem Alcohol vini dicunt spagyrici, vt vini spiritus supernatet illi, ad tres aut quatuor digitos, & maneant simul in vase vitreo optimè clauso per tres aut quatuor dies. Deinde auferatur caro, & irroretur in catino vitreo frequentissimè spiritu salis ab omni phlegmate depurati. Catinus verò conseruetur apertus in umbra, in loco vbi puluis, nec aliæ festucæ,

carnem inficere possint : dum autem caro maximam spiritus salis copiam ebiberit perquam optimè desiccandam permittes in eadem umbra & simili catino, versata semper vndiquaque carne : hæc caro sic condita summum est humanæ naturæ solatium & vitæ suæ propugnaculum. Reseruari potest in conseruis vitreis ad vsus suos; nihilominus tamen potest adhuc efficacius præparari, & in quintam essentiam redigi hac methodo. Sumatur huius carnis sic conditæ lb. j. & in puluerem redigatur, puluis hic infundatur in perquam optimo vini alchoole, in eo scilicet, quod per circulationem fragrantissimum odorem adeptum est, & maneant in digestionem lentissima balnei per quindecim dies, donec tingatur in colorem sanguinis spiritus vini. Tinctum effunde per inclinationem in aliud vas vitreum circulatorium, & clausis optimè omnibus iuncturis digere circulando, per octo dies, lentissimo igne, donec feces deposuerit omnes: tinctura iterum effusa in aliud vas quod optimè claudes, feces quæ in fundo remaneant prioribus fecibus coniunge, & bulliente balneo distilla ex his quicquid poterit humiditatis, illudque humidum Tincturæ priori coniunge: feces deinde combure, & violentissimo calcina igne, donec albescant; & ex his, cum aqua cardui benedicti, aut florum tiliaë arboris, aut florum lilij conuallij extrahe salem, quem calcinationibus, solutionibus, filtrationibus, & coagulationibus sæpius iteratis, in candidissimum reduces saccharum, quod coniunges priori tincturæ. Et ex hac tinctura lentissimo calore balnei extrahes humidum

32 *Myrothecij Spagyrici,*
aliquid, donec tinctura spissitudinem mellis ac-
quisuerit, quæ in vasis aureis digna est conser-
uari, propter stupendas in sanitate conseruanda
virtutes, & in morbis quibusque pellendis.

Vires & vsus quinta essentie humane carnis.

*Vires hu-
manæ carnis
preparata.*

Virtutes huius arcani reticere merentur, quòd
tot tantæque sint, vt in earum enumeratione, hy-
perboles suspicionem adferat lectoribus: dicam
tamen omnibus morbis accommodari, & Prin-
cipes omnes, & Reges eo vti debere ad longissi-
mæ beatæque vitæ vsum.

Sumitur singulis matutinis horis, ieiuno sto-
macho, in iusculo pulli, vel sorbili ouo, ad quan-
titate[m] trium, aut quatuor granorum.

De quinta essentia vrinae hominis.

C A P. XII.

*Arcanum
vrinae.*



V A M V I S vrina hominis sit reie-
ctaneum excrementum, quod facul-
tas excretrix hominum, tanquam
quid inutile, imò & nocuum cor-
pori humano reijciat; nihilominus
tamen experientia quotidiana compertum habe-
mus scabiem & vlcera quædam cutanea leuiuscu-
la, sola vrinae lotionè curata & persanata fuisse.
Quod spagyricis Philosophis indicauit, omnem
vrinae substantiã excrementitiã non esse; quam-
uis

uis à natura vt excrementitia eijciatur; non enim ita prudens & auara est natura, vt solum excrementum à corpore deponat: bonum enim cum malo connectum, ex impotentia separationis, foras quotidie detrudit, imo aliquando bonum purum, vt in effloridi sanguinis crisi contingit excrementitia ergò non est tota vrinæ substantia, sed in ea latitat aliquid puri, quod purum putum extractum, mirum est naturæ balsamum ad curationem vulnerum & vlcera omnium, tum externorum, tum internorum extrahetur verò illud purum sequenti methodo. Sumatur vrina hominis sani, cuiuscumque sit ætatis modo non decrepitæ, Sole & Ioue in Piscibus existentibus, & colligatur maxima in quantitate, ad libras circiter viginti. His adde ad celeriolem putrefactionem spiritus vini libras quinque, imponatur simul in vase vitreo optimè clauso ad putrefactionem in fimo calido per mensem donec nigrescat per quam optimè vrina, deinde distilla lentissimo igne vt separetur spiritus vini, quem cognosces strijs distillantibus in Capite alembici, dum cessant prædictæ striæ, muta recipiens, & collige phlegma vrinæ, donec fumi albi apparuerint in capitello alembici, & in salem albissimum congelati fuerint. Hic Sal separa à capitello alembici, & custodi in vitreo vase optimè clauso feces combure fortissimo igne, & calcina tandiù, donec albescant cineres, ex his deinde salem extrahe phlegmate proprio suo si vis, aut phlegmate vini, & calcina tandiù, & solue & congela, & iterum calcina solue & congela, donec sal albissimus sit, & purus ab omni fæculento excre-

mento; hunc salem priori coniunge, & adde his tertiam partem ponderis sui, vini spiritus, ab omni phlegmate vindicati, & serua, poterit etiam loco vini spiritus addi spiritus therebentinae rectificati, & seruari.

Vires & vsus essentia vrina humane.

*Vires arca-
ni vrinae &
vsus.*

1. Calculum renum vesicæque rumpit, & atterit, earumque partium vlcera breuissimo conglucinat tempore.
2. Gonorrhœam virulentam citissimè sanat, si cum eo granum vnum aut alterum camphoræ dissoluas.
3. Vulnera vlceraque externa, eo peruncta ad cicatricem perducit.
4. Difficultatem meiendi quamcumque cum spiritu therebentinae citissimè tollit.
5. Putrefactioni internæ resistit, necat vermes, & à febribus putridis præseruat.
6. Tempore pestis, summum est contagionis præseruatium.
7. Tumoribus applicatum tepide cum linteolis aut gossipio, ad maturitatem perducit.

Sumitur in aqua cinnamomi ad quantitatem granorum decem vsque ad duodecim mane ieiuno stomacho, & post potum deambulandum est si fieri potest. Eo enim modo purgat mitissimè, & vrinas excitat.

Hæc sunt, amice Lector, quæ ex homine possunt extrahi, quæ tanta sunt vt sufficiant medico, ad curationem omnium morborum. Neque mirum est cum homo sit Microcosmus, & to-

tius orbis compendium, in eo latitant virtutes totius mundi, nec eget ipse alijs, quàm se ipso, vnde prudentissimum fuit illud oraculum *γνώρισε αὐτόν*. Sunt qui laudant quintam essentiam stercoreis humani, laudatque Galenus r. i. libro de simplicibus medicamentorum facultatibus, stercus humanum peculiari suo capite, ad tumores aliquos gutturis mortiferos resoluendos, & pro arcano sui temporis enumerat, sed essentia urinæ humanæ vices ager illius, & quidem præstantiores, & delicatis hominibus non erit fastidio.

De quinta essentia Cerui.

C A P. XVII.



V M E N D U M est caput Cerui, qui cornua recentia & valde tenera habeat, & vetera deposuerit, hoc caput pelle deposita, vna cum cornibus, in frustula consecindendum est, & cum æquali quantitate sanguinis Cerui vitreo vasi imponendum, & fimo equino calido putrefaciendum per mensem integrum, Sole & Mercurio, in Leone existentibus. Peracto mense putrefactionis, distillandum erit omne in balneo mariæ, aut in cineribus tepidis lentissimo igne. Ut si quid est spiritus separetur à phlegmate & aquoso humore. Quod cognosces in distillatione, si strias emittunt vapores, qui sursum ascendunt,

*Arcanum
Cerui.*

& in liquidum humorem in capitello alembici conuertuntur, euanescentibus strijs mutandum est vas recipiens, & colligendum phlegma, donec spiritus albi & spissi conscendant. Tunc enim temporis permutandum iterum est vas, & aqua lactescens quæ egreditur seorsim colligenda est, & ignis augendus pedetentim, donec omnis aqua alba egressa sit. Tunc iterum etiam augendus est ignis, vt sal sublimetur albus, & nitidus, qui lateribus capitelli alembici adhærebit, non secus, ac sal vrinæ, hic sal per quamoptimè custodiendus est vitreo vasi optimè clauso: Spiritus verò, & aqua lactescens simul coniungendi sunt, & septem vicibus per distillationem purificandi. Deinde coniungendi sunt cum sale volatili, & iterum septem vicibus distillandi, mutato singulis vicibus alembico, aut saltem bene absterseo priori, feces verò prioris distillationis alcinandæ sunt fortissimo igne, & tanto, vt calbescant. Ex his deinde cineribus albefactis extrahendus est Sal, purificandus iteratis calcinationibus, filtrationibus, & solutionibus, vltima purificatione, hoc est, donec nullas in solutione emittat feces, nec vlllo pacto turbet aquam quæ Salem soluit. Hic Sal deinde purus nitidusque factus coniungendus est cum prioribus essentijs, Sale volatili scilicet aqua lactescenti, & spiritu, & tandiu inuicem circulandi donec inuicem coniungantur, nexu indissolubili.

Vires & Vsus essentia Cerui.

Vires &

1. Hoc arcanum est Epilepsiæ Rixotomon, radi-

citùs enim tollit quamcùmque Epilep-
fiam. *usus avens
ni Cerui.*

2. Omnibus Maniæ speciebus succurrit & medetur.
3. Dolorem capitis inueteratum tollit & vertiginem curat.
4. In prolonganda vita, eaque sana conseruanda, æque efficax ac arcanum sanguinis cuius vires æmulatur.

Sumitur ad quantitatem vsque ad ʒ. j. in iusculis in ovo sorbili, in aqua cinnamomi stillatiua, aut florum Tiliæ arboris pro Epilepsia.

De quinta essentia Vipera.

CAP. XII.



VISCERATÆ Viperae, capite caudaque abscissis, cuteque deposita, minutim inscindendæ sunt, & vasi vitreo imponendæ, cum spiritu salis, ad eminentiam quatuor digitorum Sole existente eum Mercurio in domo Gemini & insolandæ per quindecim dies. Deinde distillandum est, quicquid poterit humiditatis, distillatum toties rectificandum, donec empyreuma nullum redoleat, & vasi vitreo reseruandum, feces verò comburendæ, & calcinandæ donec albescant cineres, ex his demum sal extrahendum solutione, calcinatione, filtratione, & coagulatione, hisque sæpissimè iteratis opera-

*Avens
Vipera.*

tionibus ad salis vsque candorem summum, & puritatem, donec dulcis sit & lique scat vt cera lenissimo igne, deinde coniungendum est; prædictus nobilis, & splendidus sal, in aqua sua, & ambo circulandi donec nexu indissolubili coniungantur, & fiant vnum inseparabile interim si quid est humiditatis aquosæ, per balnei calorem tepidum, poterit separari. Quod reseruari poterit separatim ad oculos albugine, nebulis, & cataracta læsos, & ad auræ pestiferæ fugam.

Vires & vsus essentia Viperarum.

*Vires &
vsus arcani
Viperæ.*

1. Hoc Arcanum est cordis potissimum, & vitæ solidum propugnaculum, ideò omnibus veneni speciebus potentissimè, & efficacissimè resistit, eaque vincit.
2. Febres omnes pestilentes & malignas ad laudatam crism, & citissimam coctionem con ducit.
3. Ab omni pestis & contagionis periculo custodit, fugat auram pestilentem, vapores, & corruptiones internas malignas, Cerebrum, cor, & hepar infestantes, foras protendit & euincit per insensibilem transpirationem.
4. Morsibus serpentum & brutorum aliorum venenatorum exterius appositum curat, & venenum mortificat.
5. Bubones pestilentes, & carbunculo & antraces exterius applicatum citò maturat eorùmque dolores ingentes mitigat.

6. Cutem scabie & plora serpigine & herpete affectam absque dolore curat leuémque & politam reddit.
7. Lepram ipsam tutissimè, & certissimè curat, renouat enim totum sanguinem & purificat, hæmatosimque laudatam efficit, redacto ad temperiem moderatum & vitalem hepatis calore.
8. Vitam ergo ab omni morbi periculo custodit, longæuam efficit, & beatam, & tandem cum prædictis sanguinis humani arcanis, est naturæ humanæ, summum & vnicum in hac miseriarum valle solarium.

Sumitur singulis matutinis horis ieiuno stomacho in aqua cinnamomi cardui benedicti, in aqua theriacali ad quantitatem ℥.j. vel in aqua rotis Solis; ad maiorem efficaciam.

De quinta essentia carnis Lupi.

C A P. X V.



S V M A N T V R Lupinæ carnis recenter mactatæ ℥ x. Arcenici mineralis ℥ j. radicis siccæ Aronis siue Iarri vel Serpentariæ majoris ℥ ij. Fuliginis ℥ j. β. aquæ Calcis ℥ vj. miscantur omnia & contundantur contundenda & incidenda incidantur, & imponantur vasi vitreo optimè clauso ad putrefaciendum in fimo tepido per mensem integrum, deinde extrahatur

*Arcanum
Lupi.*

quicquid poterit humiditatis, in lento balnei calore, transferatur alembicum ad cineres & distillentur fortissimo igne, ad siccitatem vsque, aqua distillata, ter aut quater rectificetur, feces comburantur igne ad albedinem vsque, ex his extrahæ Salem cum aqua Serpentariæ aut Iarri, & purificetur vltima purificatione, donec feces nullas emittat, deinde dissoluatur in aqua sua ter aut quater rectificata, & maneat in digestionem tepida, per quindecim dies, deinde in lento balnei calore extrahatur omne humidum, quod eo calore ascendere poterit, reliquum quod in fundo remanebit custodi in vasis vitreis optinè clausis.

Vires & vsus essentia carnis Lupine.

Vires Ar-
cani lupi &
vsus.

1. Lupum manifesta est occulta quadam proprietate curat.
2. Cancrum etiam & nolimetangere potentissimè mortificat & sanat.
3. Scrofulas euellit & vlcera quæcúmque maligna, & phagedenica breuissimo tempore ad cicatricem perducit, exterius illinendo per se solum, vel cum oleo aliquo, siue cum oleo amygdalarum amararum, vel cum oleo vitellorum oui, vel cum oleo mandragoræ, ad dolores mitigandos, quos excitat inter agendum.

De quinta essentia Vulpecula.

C A P. X V I.



V M A T V R Vulpes mas, verno tempore, & occidatur, & cum suo sanguine in vas vitreum imponatur in frustula concisa: addatur aliquid vini alcohol vt supernatent humida siccis, ad emi-

*Arcanum
Vulpecula.*

nentiam quatuor digitorum, collocetur vas optimè clausum in fimo equino tepido, per mensem integrum, eoque transacto, distilletur quicquid poterit distillari, distillatum circulandum est, & deinde septies rectificandum: feces verò prioris distillationis calcinandæ sunt, donec albescant cineres, ex his Sal extrahendus, & purificandus vltima purificatione, vt in omnibus superioribus essentiis factitatum est. Sal purus putus aquæ suæ rectificatæ coniungendus, & digerendus per octo dies, & deinde humidum superuacaneum extrahendum balnei calore, & reliquum seruandum in vasis vitreis.

Vires & Vsus.

1. Mira quadam proprietate colicos dolores certissimè sanat, imò gestans secum hoc arcanum vasi aliquo vitreo hermeticè clauso impositum, nunquam affligetur ventris

*Vires &
vsus arcani
Vulpecula.*

42^c *Myrothecij Spagyrici,*
& intestinorum dolore.

2. Dolores etiam podagricos tollit exterius illinendo, & curat interius sumendo.
 3. Hydropicos mirabiliter subleuat, & aquas & ventos sensim consumit.
 4. Alopeciam sympathica agendi facultate exterius vngendo partes alopecia affectas, curat.
 5. Neruis conuulsis etiam medetur, sumitur mane in iusculis ad ʒj.
-

De quinta essentia Galbulæ ad Icterum.

CAP. XVII.

*Arcanum
Galbulæ.*



PRÆ manibus habenda est maxima quantitas extracti stercoris auferculi, qui veris tempore herbas pascuntur, paratum cum aqua Imperiali, deinde tres aut quatuor galbulæ tempore veris sunt accipiendæ & Occidendæ, & in suo sanguine macerandæ per putrefactionem, per quindecim dies in fimo calido, deinde distillandæ, distillatum purificandum, vt in prioribus arcanis, feces comburendæ & calcinadæ donec albescant cineres, ex his salem extrahere oportet, & limpidum candidumque reddere, vt suprâ in superioribus arcanis factum est, sal demum coniungendus cum aqua sua pura pura, & circulandus per octo dies, vt si quid est fœculenti, in fundo residueat, quod per inclinationem separandum est, &

totum reliquum purum, & à fecibus terrestribus vindicatum, aquæ Imperiali extracto stercoreis anerculi impregnata connectendum & servandum in vasis vitreis optimè clausis ne respirent.

Vires & Vsus.

Icterus absque dubio curat si per mensem integrum, Ictero quocumque affectus eo vtatur, singulis matutinis horis ieiuno stomacho cundo deinde deambulandum si fieri potest per duas, aut tres horas. Sumitur autem in iusculis tenuibus ad quantitatem coclearium duorum, aut trium singulis vicibus. Non erit artis culpa si ægrotus prius purgetur aliquò leui medicamento, chologogo, & mittatur aliquid sanguinis si vires ferant, quod medico est contemplandum.

*Vires &
vsus arcani
Galbula.*

De quinta essentia Talpæ.

CAP. XVIII.



ALCINENTVR Talpæ cum Sulphure, calx imbibatur cum succo chelidonix ad eminentiam quatuor digitorum, & stent in digestionem per octo dies, in cineribus tepidis in vase vitreo optimè clauso, his transactis diebus, distilletur fortissimo igne succus chelidonix, & rectificetur ter aut quater, feces demum fortiter calcinandæ ad albedinem vsque, ex his sal extrahendus purus

*Arcanum
Talpa.*

putus, iteratis calcinationibus, & solutionibus, & tandem aquæ suæ contingendus, & seruandus in vasis vitreis optimè clausis.

Vires & Vsus essentia Talpa.

*Vires &
vsus arcani
Talpa.*

Cancrum tineam & Herpetes fortes curat, si ea sæpissimè imbibantur, gossipiis ea essentia mactefactis.

De quinta essentia Hirundinum

C A P. XIX.

*Arcanum
hirundinis.*

V M E N D Æ sunt hirundines duodecim, aut viginti aut plus, & suffocandæ sunt, vt sanguis earum integer permaneat in venis, & minutim incidendæ sunt, cum earum plumis, & imponendæ vasi vitreo distillatorio, cum parum, videlicet cum vnciis quatuor aut quinque spiritus chelidoniæ plantæ, (cuius spiritus extractio docetur infra peculiari suo capite libri secundi huius operis) & distillandæ sunt in tenui calore donec spiritus egressus sit totus, tunc enim temporis augendus erit ignis donec humor omnis ascensus fuerit, caput mortuum erit postea calcinandum fortissimo igne, donec candescat, ex cineribus cum aqua chelidoniæ Sal erit extrahendus, & purificandus secundum artem, vt præmonstratum fuit antea, & coniungendus cum

humore suo egresso & aliquoties purificato, per
rectificationem, redistillando septies.

Vires & Usus.

Arcanum est Epilepticum summum, modo æger
vtatur eo ad ζ j. singulis matutinis horis ieiuno
stomacho, per mensem, purgato prius corpore
aqua benedicta rulandi, quæ fit ex croco metal-
lorum loto, per infusionem in aqua chelidoniæ,
huius infusionis sumitur ζ j. ad purgandum, vt vi-
dere est suo peculiari capite libri tertij huius
operis.

*Vires &
usus arcani
hirundinis.*

Mirum etiam est ophthalmicum contra omnes
oculorum affectiones, si oculos intingant ægri
guttulis huius arcani, & internis sumant per ali-
quot dies ad quantitatem vnciæ vnus.

Permixtum fecibus Hirundinum & incorpo-
ratum ad modum cataplasmatum ad anginam est
vnicum & solû refugium cum cætera omnia des-
peratæ salutis sunt, est enim tenuissimarum par-
tium, & summopere penetrat & discutit omnes
tumores eóque resoluit, addam quod & pecu-
liari quadam proprietate hanc affectionem curat.

*De quinta essentia Perdicum, Caponum
& aliarum Avium.*

CAPVT XX.

SV MENDÆ sunt aues quas volueris in es-
sentiam conuertere, & his occisis, plumisque

*Arcanū Per-
dicum, & a-
liarū avium.*

depositis cute & adipe omni, incidendæ sunt in frustula cum ossibus omnibus, & phialæ vitreæ imponendæ, & balneo mariæ collocandæ, vt bulliant per quatuor horas, his transactis calidè versandum est, è phiala vitrea, quicquid humoris egressum est, ex carne auium, in aliud vas. Liquor prædictus depurandus est in balneo donec feces nullas emittat extractis fecibus singulis trinis diebus per inclinationē, è vase optimè clauso, in balneo bulliente, caro deinde & ossa quæ remanserunt comburenda sunt, & calcinanda ad candorem, & ex cineribus albis sal extrahendus cum aqua rosacea rectificata, si alembico plumbeo distillata fuerit propter cerusæ copiam quàm secum ex tali distillatione traxit, si salem multis calcinationibus, solutionibus, & filtrationibus reiteratis ad candorem summum, & dulcedinem perducas, & liquori suo puro coniungas, efficies medicamentum humidi radicalis restauratiuum. Principibus & Regibus senectute oppressis summopere desiderandum, cui sal margaritarum addi poterit, non ad maiorem efficaciam, sed ad conseruationem arcani, quia sal suus, & innatus non sufficit liquori suo conseruando, nisi addatur nouus, Margaritæ autem dant copiam summam salis, facillimæ & citissimæ præparationis, qui vires alterius salis ferè æquat, quocirca addere consulo.

Simili methodo potest extrahi quinta essentia serpentum, cauda & capite abscissis, ad lepram, & calidam iecoris intemperiem. Et ex Piscibus omnibus, ad pthisim, & hecticam febrim, non ad curandam, sed saltem ad vitā rerū prolongandam.

Vires & Vfus.

Pthificos & hecticos & nacilentos, & fenecture opressos mirabiliter refouet, eorum humidum deperditum reparando in omnibus morbis cronicis, & in his in quibus vires deficiunt, summum est alimentum & vitæ fomes.

Sumitur in iusculis assiduis, & in potu assueto, in omni hora, & tempore.

Vires & vsus arcani humidium.

De quinta essentia Cancrorum fluuiatilium, aut maritimorum.

CAP. XXI.

HABENDA est maxima copia Cancrorum, & conchis suis optimè expurgandi sunt, caro verò eorum imponenda est vitreo vasi distillatiuo & distillanda est lentissimo igne, hæc autem aqua septies rectificanda est antequam feruetur, caput mortuum harum omnium distillationum calcinandum est donec albescant cineres, ex his deinde cum aqua onouidis, aut milij solis, aut saxifragæ, salem extrahes purum putum & nitidum, & ab omni terrestri fece vindicatum. Deinde liquori coniunges, & seruabis ad vsus sequentes.

Arcauus Cancrorum.

*Vires &
usus arcani
Cancrorum.*

Calculum Renum & Vesicæ miraculosè extrahit, & comminuit, eiuſque efficientes antecedentes tollit causas.

Dissuriam stranguriam, & omnem mœiendi difficultatem cum spiritu therebentinae permixtum tam subito sanat, vt magicum effectum dicere possis.

Oculorum caliginem depellit, & nebulas discutit vngulas, & cataractas guttatim in angulis oculorum instillando ter in die.

Sumitur interius in iusculis assuetis, & aquis appropriatis ad morbum quem curare cupis, valet etiam exterius applicatum ad cancos curandos, modo mortificati sint prius, arcano arcenici, quod in tercio libro docebitur, peculiari suo capite, vel arcano Lupi prius dicto.

Simili methodo & via extrahi potest quinta essentia ex omnibus conchiliis: potentius autem erit ^{volatili}remedium, si Salem volatilem reddas, cum spiritu vini quod fit digestionem & cooborationem sæpiùs iterata spiritus vini, super Salem prædictum, Sal enim tunc temporis penetrandi summas acquirat vires, & tartaros omnes resoluit.

De quinta essentia Centipedum animalium.

C A P. XXII.

*Arcanum
Centipedum.*

COLLIGENDA est maxima copia Centipedum, & proijciendi sunt in vas vitreum, cum

cum

cum sufficienti quantitate Salis communis decrepitati, & purificati, vt morientis, deinde distillandi sunt, fortissimo igne, vt eorum aqua, vna cum spiritu Salis communis egrediatur, hæc aqua septies aut pluries rectificanda est antequam reponatur ad conseruandum, Salem verò in fundo remanentem calcina iterum, vt Centipedes permixti optimè calcinentur, & Sal fiant, deinde cum aqua Aristologiæ rotundæ, purificandus est Sal ille sumopere, vt ferè fluat sicut cera in lento calore, deinde digerendus cum optimo spiritu vini absque pnegmate, & circulandus, & putrefaciendus, & fortissimo igne pellendus, donec volatilis fiat vna cum spiritu vini, hic Sal deinde volatilis coniungendus est cura priori suo liquore, & sic inuicem permixta, seruanda sunt ad vsus sequentes.

Vires & Vfus.

Interius sumpta hæc essentia, cum aqua cinnamomi sanguinem purificat, & valet ad lepram curandam ratione spiritus Salis, quem secum habet.

Vires & Vfus centipedum arcan.

Vlcera quæcumque externa exterius illinendo sanat, & interna etiam cum spiritu Therebentiæ fumendo, breuissimo conglutinat tempore.

De quinta essentia Vermium terrestrium.

CAP. XXIII.

COLLECTI Vermes terrestres mense Maio, in spiritu acido vitrioli suffocandi sunt, &

Arcanum Vermium.

deinde distillandi lentissimo igne, donec non amplius distillet. deinde mutato recipiente augendus est ignis vsque ad calcinationem fortissimam capitis mortui, donec candescat fundum alembici, & albescant cineres, ex quibus salem extrahes & purum putum facies, multis iteratis calcinationibus & solutionibus, reiectis fecibus, singulis vicibus dum calcinas & soluis, aquam demum distillatam, & liquorem omnem priorem, & posteriorem rectificabis & coniunges sali puro, & seruabis ad vsus.

Vires & Vsus.

*Vires &
vsus arcani
Vermium.*

*Cura fistu-
larum.*

1. Arcanum est mirum, ad infantulos à vermibus præseruandos, & infectos vindicandos à tali illuue.
2. Fistulas etiam mirificè curat, si sæpissimè colluantur, & eorum capacitas compleatur eo arcano, tinctura aristologiæ rotundæ spiritu vini extracta delibuto.
3. Scabiem etiam exterius illinendo certissimè curat. & cutem abstergit exterius applicatur ad vlcera sananda, & fistulas, & scabiem cum aqua Aristologiæ, & eius tinctura permixtum.

Interius verò sumitur in aqua absynthij pontici, aut portulacæ, aut succo limonum, vel cum aqua hyperici, ad quantitatem coclearij vnus vel alterius.

De quinta essentia Buffonum.

CAP. XXIV.

MENSE Junio colligendi sunt Buffones in maxima quantitate, & suspendendi sunt in aëre in loco, vbi radij Solis vigeant, & polleant toto fere die, & tandiu ibi conseruandi, donec optimè siccescant, ficci comburendi sunt ad candorem cinerum, ex cineribus extrahendus est sal cum aqua cardui benedicti, aut scabiosæ, aut corticum limonum, ad puritatem summam & candorem. Hic sal deinde permiscendus est cum aqua theriacali & seruandus.

*Arcanum
Buffonum.*

Vires & vsus.

Sunt qui aquam distillatam Buffonum dum viuunt distillatorum laudant pro mortificandis cunctis inflammationibus externis, tum ad cohibendā gangrenam partium, & dolores summos calidos arthriticos mitigandos, sed huius rei fides sit penes experientiam cauto medico & prudenti committendam, quia venenum summum est hæc aqua, imo odore solo existimo, interficere posse, propter eius spiritus volatiles qui semper exeunt ex aqua. De sale verò nullo pacto dubitandum est quin theriaca summa sit, & mirum alexiterium, ignis enim omnia consumpsit præter saltem vitæ, qui numquam venenum est, sed vitæ

*Vires &
vsus arcani
Buffonum.*

fomes & propugnaculum, vbique possint natura mortem, ibi etiam vitam collocauit, vt morti mederetur. Vires verò huius laudatissimi salis, sunt contra omnia venena, tum assumpta per positionem, tum per aërem illata: Vnde pestis est summum alexipharmacum, bubones etiam & carbunculos pestilentes mirabiliter exteriùs illitos curat & sanat, eorùmq; malignitatem reprimat, & caneros tutissimè curat. Sumitur mane ieiuno stomacho, ad quantitatem dragmæ vnus cum aqua cinnamomi, vel illinitur exteriùs ad cancrum mortificandum.

*De quinta essentia Ranarum Biridium,
que pratis adstant mense
Maio & Aprili.*

C A P. XXV.

*ARCANNUM
RANARUM.*

CAPTANDÆ sunt eo tempore Rana illæ, & **C**VIUÆ distillandæ lentissimo igne, in balneo Mariæ per quatuor horas, & colligere quicquid humoris per spatium illius temporis egredi poterit, Deinde mutato recipiente iuncturis optimè clausis, mutandum est vas è balneo, ad cineres & distillandum quod superest humoris, qui priori coniungendus est. Reliquum verò quod in fundo alembici superest, comburendum est fortissimo igne, in tigillo forti & ad calcinandum apto, donec incinerescat probè, & ex cineribus albis

sal extrahendus & purificandus est, vt artis est vsque ad candorem summum & dulcedinem, deinde liquori suo rectificato, & septies distillato connectendus, vt simul vniantur, & fiant vnum ad sequentes vsus seruandum.

Vires & vsus pradicta essentia.

1. Arcanum est mirum ad quartanam curandam occultata & innata sua proprietate.
2. Curat etiam febres tertianas, & quotidianas: vnica portione, cum aqua Necotianæ seu peti, post vomitum superfudando quantum & quandiu fieri poterit.
3. Inflammationes omnes mittigat, earumque dolores lenit exterius vngendo.
4. Erisipetata mirificè, & breuissimo tempore tollit eorumque ardorem compescit.
5. Dolores arthriticos è causa calida ortos, exterius vngendo summopere lenit & mittigat.
6. Talpis & concauis vlceribus medetur.

*Vires RAR
NATVM &
VSUS.*

Sumitur ad quantitatem vncie vnus, cum vncijs duabus aquæ peti aut cardui benedicti, ieiuno stomacho superfudando; deinde quantum fieri poterit, & per se sola exterius applicatur cum gossipio aut lintheis.

*De quinta essentia moschi ambari
& Icbeta.*

C A P. XXVI.

*Arcanum
Moschi.*

HA s quintas essentias, in primo libro collo-
camus inter animalium essentias, quòd sint
mixta quæ desumuntur, ex animalibus quam-
uis de ambaro anceps sit quæstio, an sit excre-
mentum animalis vel fungus & excretio terræ,
attamen quod flagrantissimum reddat odorem
inter essentias odoratas ponemus.

Hæ autem hac methodo fieri debent, tota
eorum substantia modo pura sit, conuertitur in
essentiam, indigent tantùm vt partes quas habent
heterogeneas ab homogeneis separentur, quas
aliquando non solùm à natura tales habent, sed
etiam impostura & fraude mercatorum. Amba-
rus ergo Zibeta, vel Moschus comparanda sunt
optima ad quantitatem lb. j. aut β. & dissoluen-
da sunt in optimo vini spiritu alchoolifato, &
tandiù rectificato, donec odorem gratissimum
per se acquirat, vt docetur peculiari suo capi-
te in lib. 2. huius operis, dissoluta, collocanda
sunt in vitreo vase oblongi colli, optimè clauso, ne
respiret, super ignem lentissimum, vt penitus dis-
soluantur omnes eorum partes. Partes autem he-
terogenæ decident ad fundum, & hypostasim
facient quam per inclinationem partium dissolu-
tarum per spiritum vini, separabis, & sic dissolu-

tas partes in aliud vas vitreum oblongi colli trāferes, & in eo vase obturabis, & sic denuo collocabis in balneo mariæ per quindecim dies, in lento calore, vt partes solutæ omnino depurentur. Quam depurationem cognosces per separationem partium heterogenearum in fundo residentium ; quas vt in prima operatione separabis & tandiu sic ages, quandiū feces & hypostasim faciet solutum post residentiam longam in balneo tepido. Postquam autem feces nullas emitteret, sed clarum & limpidum semper permanebit solutum tunc tēporis distillandum erit lentissimo igne, vsque ad mellis consistentiam. Quod erit arcanum ambarinum reseruandum in pixidibus argenteis, vel aureis, ad vsus, & aqua in phialis optimè clausis, quæ etiam suos peculiaris res habet vsus & virtutes.

Vires & vsus arcani Ambarini.

1. Ad spiritus languidos refocillandos mire efficacax si granum vnum aut alterum incorporatur corrici citri conditæ & tritæ.
2. Ad pestilentis auræ fugam summum est arcanum, modo granum vnum illius teneatur in ore.
3. Ad Syncopen summopere valet, granum vnum illius dissolutum, in aqua cinnamomi & potatum.
4. Oris putredinem & fatorem frequenti vsu, tandem tollit, siuè ex dentibus aut gingiuis putrefractis, & cancro affectis, siue ex stomacho, & mala primæ coctionis dispositione dependeat.

*Vires
chi.*

5. Sensus omnes acuit memoriam precipuè & intellectum & cerebrum adeò roborat, vt à vertigine comate & frigidis omnibus affectibus præseruet.

Sumitur autem granum vnum aut alterum illius dissolutum in aqua cinnamomi, vel incorporatum cum aliqua cortice odorata condita, vt fiant Trochisci.

Aqua autem illius arcani quæ est spiritus vini rectificatus, ad hæc omnia prædicta valet, & præterea, restituit summo opere humidum radicale deperditum à calore nostro naturali, & vires æmulatur auri potabilis, in curandis morbis, & beatissimus est ille Medicus, qui eius spiritus habet copiam.

De quinta essentia Cera.

C A P. XXVII.

*Arcanum
Cera.*

CERA quod sit opus Animalium, ideo de eius essentia in primo libro inter animalium essentias, tractandum esse mihi visum est, tantùm enim in se continet humidi radicalis mundi, quantum & mel continet, vna enim & idem sunt, & ex eadem materia prodeunt, differunt tantùm vt crassum à subtili, antequam verò essentiam eius doceamus. Quid sit cera prius mihi accidit explicandum, eius enim materiam & centrum pauci norunt. Cera ergo est crassa & spissa substantia dulcedinis terræ, quæ ab apibus sumitur in ali-

mentum ex rore, ex floribus, & ex extremitatibus arborum germinantium tempore veris, quæ extremitates, locustæ dicuntur, & habent dulcedinem summam, illud alimentum sumitur ab apibus & digeritur, & post digestionem pars purior conuertitur in earum substantiam reliquum abit in excrementum: Quod excrementum etiam partes habet, non æqualiter puras, ex purioribus & liquidioribus mel conflant apes, ex crassioribus vero Ceram, quæ cū ortum habeat ex dulcedine terræ, dulcedo vero terræ, ex humidi radicalis terræ partibus coctioribus, ideo arcana summa ex Cera elici possunt operibus Chymicis, cum humidum radicale terræ, sit totius sanitatis humanæ fundamentum & sedes elicientur autem prædicta arcana sequenti methodo.

*Cera ortus
& origo.*

Ceræ Sumetur libra vnica, aut altera & in frustula concindetur, aut fusa & liquata, in retortam vitream capacis & largi colli reponetur, cum æquali pondere arenæ perquam optimè lotæ, vt à puluerulenta & terrea fece vindicetur, ne Ceræ limpidam substantiam conspurget, & contamineat, Retorta, collocabitur in cineribus cribratis, ad fumum ad hanc distillationem aptum & recipiente collo retortæ adaptato, iuncturis optimè clausis dabitur ignis primo lentus obseruatis gradibus, deinde augetur ignis pedetentim vsque ad summum vigorem, donec tota substantia spirituosa Ceræ ascenderit. Debet autem hæc distillatio per quatuor aut sex dies continuos fieri, est enim difficillimæ ascentionis hæc spirituosa substantia Ceræ, quod glutinosi Salis partibus adhæreat fixis, quæ sublimationem retardant &

impediunt. Postquam hæc tota Cerae spirituosa substantia ascenderit, denuo in retorta noua est rectificanda septies, mutata retorta singulis vicibus, tunc completum est arcanum Cerae, & Capax vt recipiat virtutes florum omnium per solam infusionem, vt arcanum sit summum ad vulnera omnia promptissimè sananda, tanquam balsamum naturale. Præstat enim hoc oleum Cerae, cuiuscumque oleo alij ad virtutes florum suscipiendas, & ad balsamum parandum efficacissimum ad vulnera quæcumque curanda & vlcera consolidanda, si in eo macerentur flores hyperici & radices consolidæ maioris per mensem integrum, in cineribus tepidis.

Vires & Usus olei Cerae.

*Vires &
usus arcani
Cerae.*

1. Vulnera & vlcera quæcumque tum externa tum interna curat vnde valet ad omnes disenteriaë species.
2. Hæmorroidas vlceratas & cancrofas mitigat doloremque sedat.
3. Colicos dolores cum spiritu vini sumptum mirabiliter sanat.

Sumitur à guttis 8. ad 12. in vino optimo, in spiritu vini, & aqua cinnamomi exterius verò per se solum illinendo applicatur vlceribus.

De quinta essentia Mellis.

C A P. XXVIII.

*Mel quid sit
& eius Ar-
canum.*

MEl, vt diximus superius, est de eadem substantia conflatum ac Cera differunt tantum,

quia Mel partes habet liquidiores & subtiliores dulcedinis terræ, ex qua apes sumunt alimentum.

Si autem arte adhuc in subtiliores partes diuidatur, diuinum euadit medicamentum, quod sequenti via consequetur Chymicus.

Mel aqua pluuiali septies distillata soluendum est, & leui igne despumandum idque sæpius donec nullas in solutione emittat feces, sed clarum & limpidum vna cum aqua quæ ipsum soluit, maneat. Deinde circulandum est per mensem integrum in pellicano, leuissimo igne tunc demum in balneo distillandum est, quicquid distillari poterit, reliquum verò in cineribus distillandum erit ad siccitatem vsque & combustionem naturæ terrestris, ex qua optimè calcinata, *salem elicere* oportet, eumque *salem mundare* solutionibus multoties & calcinationibus iteratis, vt ab omni fece terrestris perquam optimè emungatur. Sal sic præparatus & mundus, cum aqua mellis quæ in balneo Mariæ distillata est, eaque pura & munda septenis aut pluribus distillationibus, coniungendus est, tum demum cum oleo suo, quod in cineribus distillatum est, itidem purum & mundum connectendum est digerendo pedetentim, vt in spissum gummi euadat quod seruandum est tanquam secretum summum sanitatis.

Vires & Vsu.

Summum est sanitatis præseruatium, & virium naturalium corroboratium, extrinsece & intrinsece conseruat humanum corpus, vnde conuenit omnibus morbis.

*Vires &
vsus arcani
Mellis.*

Sumitur in vitellis ouorum forbilibus mane
ieiuno stomacho, vel in iusculis ad quantitatem
dragmae vnius.

*De quinta essentia cornu Cerui
Rhinocerotis, &c.*

CAP. XXIX.

*Arcanum
cornu Rhi-
nocyti.*

CORNUA hæc omnia quæcumque sint cum
Excrementa terrea sint medullarum, quæ ci-
bo & alimento sunt ossibus, ossa purum sumunt,
& reliquum foras pellunt ad cornua, quæ ad ex-
tremitates ossium semper adnascuntur, ita vt vi-
deantur ossa producta, sed cum substantiam ha-
beant ab ossibus diuersam ossa censenda non
sunt, sed quid productum ab excrementis ali-
mentorum ossium. Quæ quamuis excrementa
sint attamen non spoliantur virtutibus admiran-
dis, vt palam est, in his omnibus cornibus, quæ
gerunt animalia in quibus substantia salis prædo-
minatur alijs substantijs, quæ mixta constituunt
ex sententia chymicorum, hæc autem animalia
vocantur ab alijs philosophis melancholica. Cur
autem hæc animalia polleant virtutibus fortiori-
bus alijs animalibus, imo sint etiam gratiora gu-
stu, vt apparet in perdicibus coturnicibus Ceruis
asinis & similibus, ratio in promptu est quod sal
quo turgent sit vitæ spiritus capacissimus, supra
alias substantias, propter fixationem suam quam re-
cipit, & dat alijs, & sit rerum omnium condi-

mentum, vnde gratia gustus est. Cornua verò horum animalium participant aliquid virtutis substantiæ illius qua turgent, quia excrementa pura non sunt, sed in his terreis substãtijs later aliquid spiritus vitæ, substantiæ salis. Valent autem potissimum ad venena, cornua illa, quod sal eorum quo turgent vitam, habeat veneno contrariam, sal enim ex se ipso propter vitæ ipsius fundamentum, quod à natura & Deo accepit, venenis omnibus contrariatur, hinc salua hominis serpentes necat. Et caro sale condita, & reliqua omnia salita serpentibus veneno sunt, & moribus venenatis sunt medicamento & remedio. Quintam autem essentiam Cornuum sequenti elicies methodo. Radenda sunt cornua, & in pulverem tenuissimum comminuenda, & vasi vitreo oblongi colli imponenda, cum spiritu salis, ad eminentiam quatuor digitorum, deinde obturato vase circulanda sunt, & digerenda in balneo tepido per mensem, tum demum distillanda leuissimo igne in cineribus ad siccitatem vsque, cauendum autem est ne empiremma redoleat, hæc aqua quæ distillat, non propter virtutum diminutionem, sed propter ingratum saporem. Postquam spiritus omnis salis distillatus fuerit feces quæ remanent, in fundo alembici, comburendæ sunt fortissimo igne, & calcinandæ, ad candorem vsque ex cineribus vero probè calcinatis, sal erit eliciendus cum aqua cardui benedicti aut phægmate vini, septies distillato, sit autem aqua cardui etiam septies rectificata, vt salem purum emittat, huic deinde sali puro & mundo, spiritus salis superius distillatus connectendus est, & digestionem

*Salina cum
serpentes necat.*

incorporandus, vt fiant vnum spiffum gummi,
quod erit feruandum in phialis optime claufis, ad
vfus miros.

Vires & Vfus.

*Vires &
vfus arcani
Rhinocero-
tis.*

- 1 Arcanum est fummum contra venena omnia,
& verum & vnicum bezoarticū remedium.
- 2 Quartanam etiam sæpe vtendo curat, tenacem
enim & tartaream fubftantiam corporis hu-
mani attenuat & diffoluit.
- 3 Aduerfus pestiferæ auræ contagionem nihil
efficacius, & est fummum pestis præferuati-
uum & curatiuum.
- 4 Omnes fpiritus, naturales vitales & animales
mirificè recreat, & fouet.
- 5 Aduerfus morfus animalium venenatorum
mire efficax exterius vngendo & interius
fumendo, ad cor defendendum ne veneno
inficiatur.
- 6 Vermes enecat infantum interius fumendo, &
putredinem omnem arcet & cohibet.
- 7 Valet ad lepram curandam, & leprofos mirè
recreat.
- 8 Valet etiam ad fenectutem retardandam quia
humidum radicale purum & mundum con-
feruat & fouet.

Sumitur ad quantitatem dragmæ vnius in iuf-
culis & ouis forbilibus mane ieiuno ftomacho,
vel in aqua theriacali, vel in aqua cinnamomi.

De quinta essentia Ungulae Alcis.

CAP. XXX.

FERUNT omnes Medici Alcem Asinum syluestrem oculta quadam proprietate Epilepticos insultus curare, quod experientia confirmant, nihilominus tamen id unde proueniat, apud neminem Medicorum nec Physicorum legere potui, nec audire vnquam potui vllam rationem, quam illam præfatam quæ de omnibus occultis, & quæ ignorantem audiri potest, nempe occultam esse Alcis proprietatem, quæ proprietas cum à forma ipsa dependeat in cognitionem hominum deuenire nequit, id mihi numquam arrisit. Ideo quantum in me est ingenij in hoc elaboravi, vt rationem excogitarem aliam, quam illam vulgarem, ex qua naturam & essentiam, tum Alcis vngulæ, tum Epilepsiæ pernoscere possimus. Asserunt Spagyrici Medici Epilepsiã, originem habere ex substantia Mercurij, aliis prædominante & superbiente, non secus ac in magno mundo ingruente tempestate, feruntur vndique nubes & glomerantur, insurguntque venti, fulgura, fulmina, & tonitrua, donec dissipatis nubibus redeat clara tempestat, sic in homine caduco laborante, superbit substantia Mercurij, sursum deorsum vndiquaque fertur, turbatur visus auditus, & reliqui sensus, intellectus & ratio, inflantur & tumescunt ab spiritibus ventosis mēbra, donec tandem

Ungula Alcic vndentū curret lepticos

Epileps rigo vñ

dissipata illa Mercurij superbia, nubibusque ex ea glomeratis, redeant ad primum statum omnia, & redeat clara tempestatas microcosmi, iam verò ea omnia quæ tempestatem hanc frangere possunt, possunt & Epilepsiam curare, veluti sunt ignea omnia, & ætherea, quæ subito nubes fugare, & dissipare possunt inter quæ sunt spiritus vini, oleum vitrioli circulatum, oleum cinnamomi, & caryophyllorû, camphoræ, & reliqua similia, quæ cum in ea sint, & summæ penetrationis, illico, ad caput feruntur ibique nubes, à Mercurio superbiante glomeratas, dissipant. Iam verò vngula Alcis cum siccissima sit propter salis calcinati & retorridi copiam summam, quam in se habet, potest etiam proprietate manifesta, salis sui retorridi, & ratione spiritus salis ipsius, ipsam Mercurij superabundantem humiditatem comprimere. Addatur etiam quod Cornua omnia, Vngulæ sulphureæ sint substantiæ, & vitriolatæ, quòd experientia confirmatur dum metalla colorant, & variis coloribus afficiunt, & mollitiem & ductibilitatem illis inducunt, si fusa, super vngulas aut cornua proijciantur: beneficio autem illorum spirituum sulphureorum & vitriolatorum mercurij ascendentem humiditatem, & undiquaque diuagantem figunt, & coercent, cum proprietas sit illorum spirituum congelare, & figere mercurij dissolutam substantiam, in qua tantum fixatione & compressionem consistit vera cura Epilepsie, quia tamen pauci ita procedunt illamque curam norunt, idè pauci sunt, imò perpauci, qui Epilepsiam aliosque eiusmodi morbos curare sciât, sed incurabiles relinquunt. Ut autem curari possit

dabimus

*Epilepsia
cura vera.*

dabimus Vngulæ Alcis essentiam sequenti metho-
 do, quæ multum confert, imò prorsus curat
 Epilepsiam. Sumatur vngula Alcis, pedis sinistri
 posterioris numero vna, & radatur in frustula te-
 nuissima, super ipsam proijciatur, ad eminentiam
 duorum digitorum oleum caryophyllorum, &
 cinnamomi, æqualibus partibus, in quibus flores
 tilix arboris, & pæoniæ maduerint per mensem
 integrum: deinde cum ipsis floribus circulata fue-
 rint hæc olea, deinde rectificata, & ter aut qua-
 ter distillata vt tenuitatem summam acquirant,
 his ita collocatis in vitreo vase oblongi colli, &
 obturato orificio, ne respiret, imponens furno
 Athanoris ad circulandum, donec vngula dissolu-
 ta sit cum ipsis oleis, & in mucaginem redacta:
 tunc demum distillabis igne cinerum leui, ne
 comburatur vngula, postquam amplius distillare
 non poterit, reliquum aperto igne combures, &
 in cinerem reduces, è qua salem elicies cum aqua
 florum tilix arboris, vel cum aqua pæoniæ, aut
 calendulæ. Eumque salem elicies purum & mun-
 dum, quem sic mundum, coniunges oleo priori
 distillato, & circulando in gummi reduces, addi-
 tis dragmis nonnullis ambari optimi, in puluerem
 tenuissimum reducti, & sic balsamum conficies,
 stupendum aduersus quamcumque Epilepsiam
 puerilem, aut virilem, effectus eius testabitur e-
 uentus scælix & faustus, omnibus hisce miseris, qui
 malo illo cruciantur.

*Arcanum
 vngulae Al-
 cis.*

Vires & Vsus essentia Vngula Alcis.

Scotomiam omnem vertiginem, soporem, ve-

*Vires &
 vsus Arcan.*

ungula Al- ternum, Epilepsiam & similes omnes affectus pe-
detentim, & insensibiliter curat, eorum causam
consumendo, & annihilando.

Mirè recreat omnes cerebri facultates, & omnes sensus acuit tum externos & internos.

Sumitur cum aqua cinnamomi, pæoniæ florum tiliaë arboris, & in iusculis & in ouis forbilibus, summo mane ieiuno stomacho, ad quantitatem $\text{ʒ} \text{ss}$. ad $\text{ʒ} \text{j}$. Si peruicaces sint affectus, purgare corpus imprimis ego consulo, & præcipuè cum aqua benedicta Rulandi, quæ paratur ex infuso croci metallorum cum aqua cardui benedicti, & sumitur ad quantitatem $\text{ʒ} \text{j}$. Purgatio autem hæc fieri debet bis in mense, aut singulis hebdomadis, si vrgeat effectus, & singulis diebus uti, arcano præfato, donec curetur affectus. Postquam autem curatus fuerit (& præcipuè in curanda Epilepsia seruandus est hic modus,) singulis mensibus in plenilunio vtendum est arcano vngulaë Alcis præfato.

De quinta essentia axungiarum omnium.

C A P. XXXI.

Arcana axungiarum & axungia quid sint.

AXungiaë omnes idem sunt in animalibus, ac gummi in arboribus. Sunt enim quælibet excrementum sulphuris naturalis, habent tamen etsi excrementa sint aliquid virtutis, quod sulphuris sapit naturam, quod in his semper adsit aliquid optimi sulphuris, ratione cuius miros habent ef-

fectus, in Medicina facienda, vt autem illud sulphuris, naturalis quod inest axungijs, adhuc magis elucefeat in ipsis corporibus, vt virtutibus polleat efficacioribus, in essentiam reducemus sequenti methodo.

Axungia sumenda sunt & fundenda, & liquanda, postquam autem liquata sunt, sumenda sunt frustula laterum veterum, & ignita, in axungias liquatas proijcienda, vt bibant quantum poterint axungiarum. Deinde lateres illi contundendi sunt, & in puluerem reducendi, & in retortam imponendi, & distillandi fortissimo igne, & demum septies rectificandum est oleum, quod ex illis egreditur, & seruandum in phialis optimè clausis. Sic distillabis oleum mirum ad dolores arthriticos, axungia vrsi & cati. Ex illis item oleis rectificatis, cum floribus & herbis ad vulnera aptis, potest parari balsamum mirè efficax, ad vulnera curanda citissimè, præstat enim hoc oleum spiritui therebentinae, & oleis aliis communibus, quibus vtitur, ad balsama paranda.

*De quinta essentia medullarum
omnium.*

C A P. XXXII

MEDVLLÆ omnes miram habent, & summam penetrandi facultatem, absque vlla præparatione, & præstant in penetrandi actione, axungijs & oleis, per expressionem factis, quia

Arcana medullarum omnium.

eorum substantia ex se ipsa, subtilior multo est, his omnibus: itaque, si in essentiam reducantur, adhuc potentiolem habebunt agendi vim, & citiores producent effectus, itaque vt in essentiam reducantur, sequentem obseruabis methodum. Colligetur maxima copia medullæ cuiuscumque animalis volueris, in plenilunio, & in retortam impones, cuius pars media sit plena, & illi recipiente perquam optimè iuncto, iuncturis optimè clausis, in igne cinerum collocabis ad distillandum, auctis gradibus pedetentim ignis, donec cesset distillatio, oleum distillatum rectificabis per aliam retortam, ter aut quater, cum pauco vitriolo, ad rubedinem calcinato imposito, in singulis distillationibus, sic enim oleum penetrandi summam acquirat facultatem, & omne empyreuma deponet. Cui oleo sic rectificato ad majorem vim & facultatem addes salem fixum, purum, & ab omni terrestri excremento vindicatum eiusdem animalis, ex quo medulla extracta est, & sic arcanum facies stupendum, ad sedandos quoscumque dolores arthriticos, & ad discutiendos, tumores duros & frigidos, & resolutioni renitentes. Valet enim medulla omnis & oleum ossium, & sal fixum eorundem, ad hæc prædicta, excellit tamen omnibus, medulla humana, & sal fixum, & oleum ex ossibus humanis extractum, ad sedandos hos & similes dolores. Medulla vero equina, & sal, & oleum ex equorum ossibus extracta, mirificè discutiant, tumores scirrhosos, omnes & præduros, qui in tibijs equorum nobilium sæpissimè enascuntur, maximo incommodo, & detrimento, regum, & principum qui ta-

Vires arcani medullarum.

les equos maximo habent pretio, & summis delitijs, callos etiam præduros emolliunt, & discutiant, qui in pedum digittis, hominibus solent enasci. De hisce & similibus oleis inferius iterum tractabitur, quarto libro huius operis, vbi potissimum & peculiariter de omnibus oleis chymicis tractabitur, longiori sermone.

Conclusio huius libri I.

C A P. XXXIII.

NON plures numero præposuimus essentiarum animalium typos, in præsentī libro amice Lector, quod hic numerus sufficiat cuilibet chymico, etiam tyrunculo, vt omnes alias quascumque voluerit essentias, ex familia animalium elicere, eliciat similibus methodis quibus vsi sumus. Itaque his frui lector tanquam benevolentia meæ erga te symbolis, nihil enim arcani, passus sum in occultum ire, sed omnia ad gloriam Alchymia in lucem clarissimam edidi, vt ex prima ipsa, testabitur, sequenti (pari amore erga Lectores) erit pagina, occultis infinitis & verò plenis referta, non vt hinc gloriam aut laudem quantulamque referam, sed vt Alchymiam tantum, artium matrem, & philosophia margaritam, pedibus conculcatam, & naso suspensam adunco, quorundam nebulonum, honor ipse, laus, gloria, & decus omne, collaudent & exornent infinitis eorum corollis, si antiqui om-

nes alij philosophi spagyrici, non ita occultè cæ-
lassent arcana sua, tantis vt opinor iniurijs imo
nullis, afficerent iam Alchymiam, qui eius arcana
sapere non possunt. Quod potissimum me indu-
xit, vt arcana omnia quæ potuit ingenij mei im-
becillitas, ex antiquorum monumentis elicere,
in lucē proferre, seducta & separata omni cortice,
& velamine, vt lucem naturæ viderent omnes, &
Alchymiam tanquam horum arcanorum matrem,
vna voce collaudent. Obsecundet voti meo gra-
tissimus euentus.

Finis libri primi.





MYROTHECII SPAGYRICI.

LIBER SECVNDVS.

*De magisterijs vegetantium, & primo de
methodo extrahendi spiritum æthe-
reum vegetantium.*

CAPVT. I.

IN omnibus herbis plantis & arbori-
bus, & reliquis omnibus, quæ ex fa-
milia vegetantium ortum habent, la-
titat substantia quædam ætherea, subti-
lissimæ substantiæ, vitæ fomes, & ful-
crum, caloris naturalis pabulum, facultatum om-
nium stabilimentum. Qua substantia turgente,
vegetant arbores, pullulant, germinant, florent, &
fructus pariunt, ea verò arefcente, sterilefcunt,
arescunt, & moriuntur, ea ergo potissimum sub-
stantia est cognitu digna, in ea enim latitat vir-
tus omnis cuiuscumque plantæ & vegetantis om-
nis, extrahitur autem talis spiritus sequenti me-

*Vitæ fomes
in plantis
qualis.*

*Spiritus ve-
getantium
qua metho-
do eliciatur.*

rhodo. Contunditur herba succulenta & recenter è terra auulsa, cum folijs & radice, & prelo exprimitur succus eius, & phialæ inditur, & datur tempori, ad deferuendum in loco frigidò, vbi Sol radios suos non mittet, alioquin enim euanesceret spiritus ille, calore Solis, aut quocumque alio calore. Propterea in loco frigidò, custodiendus est succus ille, donec deferuerit. Demum distillandus est, lentissimo calore, vt spiritus ascendat, ad modum aquæ vitæ, strias facientis, quæ striæ, quandiu perdurant, tandiu continuandus est ignis, & distillatio, tandiu enim spiritus ille ascendit, euanescentibus autem strijs, cessandus est ignis, ne phlegma misceatur spiritui. Spiritus verò ille rectificandus est, donec à phlegmate purus sit, quod in septima distillatione continget, modo euanescentibus strijs, in singulis distillationibus, separet distillatum spiritum, à distillate phlegmate, id etiam cognosces gustu, quia spiritus sapit omnino, aquam ardentem, & vera est aqua ardens, & ardet vt spiritus vini: in extrahendis illis spiritibus æthereis plantarum, aceruanda est maxima quantitas succorum plantarum, quia paucus est spiritus ille, in maxima etiam quantitate succi, sed potentissimus est in virtute, itaque implenda sunt succis doliola integra, & in locis subterraneis ad instar vini, custodienda, donec deferuerint, & tunc distillandus est succus, vt diximus, vt separetur spiritus ille à phlegmate: phlegma vero poterit etiam distillari & cōseruari, quia virtutes insigniores habet, aqua communi illa, quæ communi methodo distillatur. E Tartaro demum qui infimis dolij partibus adhæret, sal

vegetabile, tum fixum tum volatile extrahi poterit. quod admirandis donatur virtutibus, vt in sequenti capite videre licet.

Sal volatile vegetantium qua methodo extrahatur.

CAPVT II.

SAL volatile vegetantium, aliarumque rerum omnium, quæ in mundo sunt, in quibus omnibus inest, tanquam pars materialis essentialis, non est quid factitium vt putant aliqui, rerum naturalium ignari, qui existimant omnia quæ à Chymicis eliciuntur, ex mixtis naturalibus siue sit oleum, siue sal, esse quid factitium, quod non realiter est in compositione mixti, sed quod artificio è potentia, reducitur in factum ope ignis, qui totum mixtum destruit & consumit, & ex illa destructione & putrefactione generantur illa, quæ à Chymicis dicuntur, sal oleum seu sulphur, & mercurius, at prorsus res ita se habet, sal sulphur & mercurius, verè sunt & realiter in mixtis omnibus vt apparet antopsia in ipsis mixtis absque vlla eorum corruptione, in homine primo, viuente, sal in vrinis, saliuâ, & sudore manifestatur: mercurius verò, qui aquosus humor dicitur luce clarius apparet, in sâguine, in humido, quod residet in carnibus, medullis, ossibus, & reliquis omnibus partibus, sulphur autem de quo controuersiam maiorem facere possunt Mylochymici, manifestatur

Sal volatile vegetantiũ qua ratione extrahatur.

Sulphur sal & mercu-

vius in omnibus rebus sunt.

in spiritibus sanguinis, qui dum calore præter naturam excandescunt, ignescunt, & in flammam abeunt. Quidni & in crepitibus, ad quorum halitus malè olentes, dum exeunt si candela accensa accedatur, flammam concipiunt, & introrsum & sulphureum redolent spiritum, in adipe, axungia, reliquisque corporis partibus adiposis, sulphur illud de quo est controuersia, apparet: in vegetantibus verò in resinis & gummis, quod si vegetantia omnia gummas, & resinas non emittant, non ideo adimendum est, quod non habeant, sed quod eorum calor interius adeò imbecillis sit, & paucus, ut foras illud excrementum igneum purum, & ab aliis separatum trudere non possit, sed vna, cum aliis aquosis excrementis emittat. Itaque ratum sit, tanquam verissimum in natura, mixta omnia, tria hæc habere prædicta, salem puta, mercurium, & sulphur, tanquam partes materiales & essentielles, è quibus omnibus elici possunt artificio Chymico, sal imprimis cum in omnibus mixtis, sit in duplici differentia, duplici etiam elicietur methodo. Sal enim vnum cum volatile sit, aliud verò fixum: dabitur capitulum particulare, in quo docetur, quo modo extrahi possit sal fixum vegetantium omnium, iam verò de sale volatili, agendum est, postquam eius naturam aperte docuerimus, differt à fixo, quod habeat secum unitos spiritus vitales, qui eius corpus penetrando, alienant & attenuant, & sic volatile faciunt, & sic spiritus qui inuisibiles sunt, visibiles fiunt, & corpus quod sua natura fixum, & permanens est, volatile reddunt, hoc autem clarius videbitur sequenti methodo, contunditur herba ex ea extra-

hitur omnis succus, & vna cum suo succo ponitur in phiala oblongi colli, & hoc omne in furno igne digestionis supposito, per quindecim dies: deinde distillatur in balneo mariæ, quicquid poterit distillari: humiditas aquosa, iterum infunditur, fribus & calide permiscetur, & filtrantur simul dum calent vt quicquid est salis, vna humiditate per filtrum transeant: deinde quieta facta, hypostasi ad fundum seposita, per inclinationem quod clarum est, effundendum est in vas aliud, illudque clarum distillandum est, aut in balneo euaporandum, ad tertiæ partis consumptionem: quod superest, in loco frigido collocandum, vt in cristallos creat, quasi sublimare poteris, vt nitidam & claram omnino nanciscantur substantiam, & vsui seruare, pollent enim summis virtutibus, & in medicina facienda, beatus est medicus qui tales cristallos habet, vt medeatur morbis.

De Sale fixo vegetantium extrahendo.

C A P. III.

DATVR in vegetantibus omnibus sal aliud fixum, quod est fundamentum & basis, omnium aliarum essentialium partium, est enim viuifici ignis pabulum, principium generationis & fundamentum, terminus à quo, generatio omnis & ortus incipit, est rursus generati conseruatio, & fulcrum, qua ratione, si purum extrahatur à vegetantibus, non inferiores possidet virtutes, aliis par-

*Sal fixū vegetantium
qua ratione
eliciatur.*

tibus essentialibus, quas extraximus, extrahitur verò hoc pacto, siccantur herbæ cum toto, in umbra vel sole, nihil enim interest, deinde siccæ comburuntur, & reducuntur in cineres albissimos, è quibus cum maxima quantitate aquæ eiusdem herbæ, à qua sunt cineres, extrahitur sal, faciendo lixiuium, ex cineribus & aqua, quæ cum hypostafim seposuerit, per inclinationem clarum separatur à turbido, & distillatur clarum, vsque ad siccitatem salis, quod iterum ter, aut quater, aut pluries, calcinatur, & comburitur igne forti in tigillo ad hoc apto: deinde soluitur, & solutum filtratum iterum & distillatur, & hoc iteratur pluries, donec sal summam puritatem acquirat, quod in phialis perquam optimè clausis, asseruari meretur, ad vsus varios, & ad arcana viuificanda vegetantium vt videre licet in sequentibus.

De quinta essentia Chelidonij.

C A P. IV.

*Essentia
Chelidonij.*

COLLIGITVR Chelidonium maius, tempore veris, in maxima quantitate, pars vna siccat ad solem, vt comburatur, & ex cineribus extrahatur fixum sal purum & nitidum, methodo generali demonstratum. Pars verò altera reseruatur, vt succus eius exprimatur, & ex eo sal volatile, & spiritus, & aqua eliciuntur methodo generali, hæc demum omnia simul pura iterum coniunguntur, & connectuntur, & renouatur Cheli-

donia, viribus pollens efficacioribus multo quam antea, & sic euadit ophtalmicum summum, omnibus oculorum morbis subueniens.

Vires & vsus.

1 In morbis Iecoris omnibus, est summum remedium, & in ictero quocumque arcanum est.

*Essentia
Chelidoniæ
vires.*

2 In dolore dentium mire efficax, & in quocumque articulari dolore, summum solatium est.

3 Oculos summopere præseruat, ab omni vitio, & læsos curat.

4 Sensum visus præcipuè acuit, summopere exterius oculum illinendo, & interius assumptum cum iusculis, sensus alios adeo refocillat, vt nouum hominem facere credatur.

5 Valet etiam in vulneribus consolidandis capitis.

Sumitur ad quantitatem dragmæ vnus in iusculis, aut ouis sorbilibus, mane, ieiuno stomacho, & exterius applicatur, oculis instillando guttatim, ad vulnera vero admouetur linteolum hoc sacro arcano delibutum.

De quinta essentia Hellebori.

C A P. V.

COLLIGENDVM est helleborum nigrum, *Hellebori es-*
mense Octobri, in maxima quantitate, & *sentia.*

comburendum est, & ex cineribus eius sal est eliciendum, summa cū industria, methodo prædicta sal autem istud reseruandum donec alia, peracta sint, quæ ex hellebro extrahenda sunt antequam acanum hellebori perficiatur, colligendæ sunt radices hellebori eodem ipso tempore & mense Octobri, vt supra, & folia etiam, & mundata omnia à terreis excrementis contundenda sunt, in mortario marmoreo, cum pistillo ligneo, & exprimendus est succus, succus hic expressus, diuidendus est in duas partes, sumendæ sunt tres aut quatuor libræ & phialæ vitreæ includendæ, aut vasi alio vitreo oblongi colli, vt digerantur lentissimo igne, per quindecim dies, his elapsis distillandum est in balneo mariæ, quicquid poterit distillari, & distillatum rursus refundendum pati, quæ in fundo alembici remansit, & filtro traiciendum est omne & prelo comprimendum est, quicquid poterit extrahi succulentum: deinde mediocriter euaporandum est aliquid humiditatis, reliquum verò in loco frigido collocandum, vt coeat in salis crystallos, quæ lotæ seruandæ sunt & custodiendæ, ex succi verò altera parte quam diuissimus, extrahendus est spiritus methodo prædicta, in capite primo huius libri. In hoc spiritu solo & puro, soluendæ sunt crystallos illæ reseruatae, & septies inuicem distillandæ, huic distillato, coniungendum est, sal purum illud fixum, quod etiam reseruare iussimus, quod ex cineribus hellebori extractum est, & sic omnia permiscenda sunt, & vasi claudenda vitreo, addendo aliquid spiritus rosacei, ali- quibus granis ambari & Moschi impregnati.

Vires & Vfus.

Perfecta & absoluta catarrhi cura in hoc arcano consistit, curat omnes morbos capitis, Apoplexiam, Epilepsiam, vertiginem, carum, & reliqua omnia similia, imo & phrenetidem, vnde est capitale summum arcanum, & mania tutum remedium.

Hellebori essentia vires.

Phlegmaticos senes reducit ad temperaturam, & sanguinem mundificat hinc valet ad lepram curandam, aut saltem moderandam.

Excellit omnes virtutes herbarum, in conservanda essentia humani corporis, in vigore suo & virtute.

Sumitur huius medicamenti ℥j. semel in mense in iusculis, aut in ouis forbilibus, aut in aqua cinnamomi: in senibus verò & decrepitis sumitur singulis hebdomadis, ad quantitatem ℥j. cum iusculis & alijs eiusmodi.

*De quinta essentia tithymalorum essulæ
& tathyris.*

CHAP. VI.

Omnes hæ herbæ maximam vim purgandi obtinent, propter crudum autem succum, quem copiosum habent inter venena censentur, si tamen coquantur, & in essentiam redigantur, separatis, eorum excrementis mira euadunt medicamenta cathartica, nec cedunt orientalibus

Tithymalorum essentia.

& barbaris medicamentis , quæ magno pretio, imo & sæpe sæpius vitæ periculo , è longinquis terræ plagis asportant mercatores , in nostras regiones. Quod non ita fieret , si medicorum nostratium cura, indagine, & industria, terræ & soli nostri indagarentur virtutes , ac herbarum scrutarentur secreta & arcana , at proh nefas ! nemo est ! qui labori indulgere cupiat : inhiant nummis aureis & peculijis, quas blandè loquendo & concinnè, ab ægrotis educunt medici nostrates , & si quis chymiam, laboris plenam exerceat, digitto commonstrant , & stultum prædicant , quod pecunias & aurum, absque labore, accumulare nesciat , vt ipsimet qui solis verbis in medicos euadunt summos , & morbos omnes prædicant mortales, vt si tandem sanitas exurgat, vi naturæ, non eorum industria , ab incurabili morbo , ægrotum leuasse, se laudibus euehant, si verò fato corruant, eos se illud prædixisse, etiam se extollunt, sic quacumque vertatur morbus , laudem quærunt, cum tamen vituperiam maximam vndiquaque mereantur : exhortor ego tamen omnes Medicinæ alumnos , eos nullo pacto imitari & Chymiam quærere, & hac virtutes herbarum inuestigare , & potissimum nostratium omnium herbarum, tithymalorum, essulæ , & tathyris, & hellebori, in his enim crede mihi latitant arcana fere omnia, curâ di omnes vulgo incurabiles morbos , extrahuntur verò harum herbarum essentiæ & arcana, pari methodo, ac extrahitur essentia hellebori, non egent villo correctorio, modo in veram essentiam reducantur, vsus erit in omnibus morbis qui purgatione egent, & eadem erit dosis ac hellebori essentia, &

*Vites &
vsus tithy-
malorum
essentia.*

cia, &

tia, & simili & pari omnino methodo poterunt extrahi, omnes aliæ essentiæ, ex quibuslibet aliis herbis catharticis, at ne ullam difficultatem pariamus chymicæ tyrunculis, permulta alia exempla adhuc præponemus, vt præmansa omnia habeant.

De quinta essentia halicacabi.

CAP. VII.

EX fructibus halicacabi extrahitur succus, in maxima quantitate & diuiditur in duas partes, vna ponitur, in digestionem leui, in vase vitreo oblongi colli obturati, vt sal volatile extrahatur pari methodo, vt dictum est capite secundo huius libri, purum, putum, quod sublimatione acquires. Altera verò pars recondetur in doliis, aut in phialis vitreis obturatis, in cella vinaria aut in loco frigido, vt succus deferueat, feruore autem peracto, quod cōtinget intra mensem, extrahetur spiritus, seu aqua ardens, ex succo halicacabi, quam rectificatam coniunges, cum spiritu volatili, his addes sal fixum ex radicibus halicacabi, & foliis, & magmate succi extractum, per calcinationem harum rerum, & ex cineribus earum extractionem.

*Halicacabi
essentia.*

Vires & Vfus.

Habito hoc arcano, habes arcanum mirandum

Halicacabi

*essentia vi-
res.*

ad curandum regium morbum, & icterum.

Vesicæ etiam omnia vitia pellit, disuriam, & stranguriam, certissimè curat, pellit enim vrinas mirificè.

Renes etiam validissimè purgat, primordia calculi extinguit, sanat vlcera renum, si cum spiritu therebentinae coniungatur.

Sumitur ad quantitatem ʒ j. in fortioribus, in aliis verò ad ʒ ss. in iusculis, vel in ouo forbili, mane ieiuno stomacho, vel in oleo therebentinae, vel in aquis aperitiuis & diureticis, & morbis accommodatis, quibus & conuenit arcanum prædictum.

*De quinta essentia Rosarum, Pallidarum,
& Moscatarum.*

C A P. V I I I.

*Rosarum es-
sentia.*

LAUDANT nonnulli Medicorum & summis
Lextollunt præmiis Rheubarbarum, Sennam,
Cassiam, Mannam, quod sint medicamanta, ad-
eò benigna, vt eorum succus infantulis absque
vlla noxa propinari possit. At desinant mirari illa
barbara & è longinquis terræ plagis aspectata me-
dicamenta, quia hæc omnia quamuis benigna
sint, respectu rosarum nostratium malignissima
sunt, eorum omnium benignitas cedit protinus
benignitati rosarum, nam hæc quamuis sint medi-
camenta cathartica, tamen & sunt cardiaca, &
Cephalica, balsama, propter earum flagrantissi-

mum & suauissimū cordi & cerebro odorem, parantur ex his cōmuniter & vulgo præparata quedā medicamēta, quæ infirmæ admodum sunt virtutis, quod nesciat medicorum vulgus, præcipuam earum partem conseruare, & inutilem reijcere: at methodo sequenti, obtinebunt Chymicæ artis alumni, rem mirabilem è rosis solis extractam, sola contusione, & succi expressione, & ex succo illo spiritus extractione. Huic spiritui rectificato, si ambarum & moscum addas, efficies odoriferum medicamentum, cæteros omnes odores longè superans, suauitatem & cardiacum summum. Si verò salem volatilem, & salem fixum ei spiritui connectas, catharticū mirabilem efficies potum, pro infantulis, mulierculis, & aliis delicatulis hominibus, regibus, principibus, aliisque magnatibus dignissimum.

Vires & Vsum.

1. Spiritus rosarum omnibus animi deliquiis præstantissimum est medicamen, solo enim odore, ita refocillat spiritus animales, vt illico, suscitent animo delinquentes. *Rosarum essentia vires.*
2. In peste summum est præseruatiuum, quia suo odore, cerebrum confortat, aliosque spiritus per aëra volitantes, corruptos, & luce pestifera infectos fugat.
3. In Epilepsia, vertigine, caro mirè efficax, quod sua innata ætherea qualitate, cerebrum feriat, spiritusque illos frigidos, & cerebrum infestantes fuget.
4. In vteri suffocatione etiam valet, modo os vte-

ri eo perungatur, quod vterus frigefactus tum vaporibus, tum substantiis in eo contentis, eo incalescat, & ad excretionem harum rerum refocillatus, excitetur.

5. Spiritus verò sale volatili, & fixo impregnatus adhibetur omnibus morbis, qui purgatione egent leui, fœlicissimè enim & tuto, & iucundè humores noxios è corpore euacuat.

Sumitur per se solus nullo addito medio, quia omnia fere media qualiacumque sint, ingrata sunt, comparatione facta, ad spiritum rosarum, qui gustui & odoris suauitate omnia alia superat, esculenta, & potulenta, sumitur ad quantitatem ℥j, mane ieiuno stomacho, eundo deinde deambularum.

De tinctura Rosarum rubrarum.

CAP. IX.

Rosarū tinctura.

MIRVM est in natura, quod tinctura florum omnium, arte spagyrica possit auferri, è floribus, absque corruptione substantiæ, videtur enim illud accidens ita proprium, & innatum flosculis, & substantiam adèdè altissimè penetrare, vt minimè auferri videatur, quin substantia corruptionem patiatur: nihilominus tamen experientia certum est, hæc ita fieri, vt nullo pacto lædatur florum substantia, odore enim solo & vapore sulphuris rosæ perquam rubicundæ, in albißimas rosas subitò transeant, illæsis florum foliis. Ratio

autem huius rei, Spagyrici philosophi, ita tradunt. Ferunt colores omnes rerum omnium à sulphure interno, & innato, dependere, hoc enim cum sit caloris innati centrum, & fomes, coctiones, & digestiones omnes, humidi alimentij, & radicalis parit, ex coctione autem illa, & digestionem varia, varia etiam est colorum diuersitas, sulphuris autem interni rerum omnium, & mineralis, summa est cognatio, & affinitas, ita ut, sulphur vnum, alterius sulphuris substantiam sequatur, & magneticè trahantur ad inuicem, hinc est quod dum substantia sulphuris mineralis liquata, seu in humidam, & aquosam substantiam arte spagyrica redacta, florum corpuscula tenuissima ingreditur, eaque penetrando, alimentitiam substantiam florum quæ colorem continet, dissoluit, & secum vnit, & sic permiscetur inuicem, & color florum transit è corpore suo proprio, & natio, in homogeneam sulphuris substantiam. Methodicè autem tinctura rosarum sic paratur, colliguntur rosæ rubicundæ, & folia earum mundata, integra immittuntur in phialam vitream, his infunditur oleum sulphuris seu acetum per campanam factum, quantum satis, ad madorem florum omnium, cum certa quadam quantitate aquæ rosacæ, vel spiritu rosaceo noscato, quod melius est, oportet autem mediocre, infundere, spiritum, aut aquam rosaceam, ne extinguatur vis aceti sulphuris, hanc phialam probè obturatam insolabis per aliquot dies, & per aliquot vices agitabis, ut spiritus probè tinguatur: tinctum deinde acetum separabis, per inclinationem, aliud recens impones, donec habeas omnem tincturam & maneat in fundo albæ

rosæ, quod fiet, in terna, aut quaterna infusione, modo copiosus sit spiritus sulphuris, hunc tinctum spiritum sulphuris hypostasi facta, linteo aliquo mundo, & tenui percolabis, vt probe niteat, & phialæ obturatæ vitreæ, impones ad vsus sequentes.

Vires & Vfus.

*Rosarum
tinctura vi-
res.*

1. Anarexiam & quamcumque gustus & appetitus deiectionem, apprimè persanat, quod humores stomacho residentes, sua acrimonia abstergat, tartarumque superiori ori ventriculi adhærentem, dissoluat.
2. Dysenterias omnes tam hepaticas, quam alias, & alios alui fluxus tutissimè curat, quod mutatis acribus humoribus & corruptis, in aliam mitiorem substanciam corroboret, ventriculum astringendo, & intestina, oraque venarum mesenterij.
3. Ardorem sitis extringuit, quod febrem potissimum temperet, & os superius ventriculi refrigeret.
4. Aphthas, aliaque oris vlcera, aliarumque partium serpigines, & herpes foelicissimè curat, quod humores acres illos, vlcera facientes, dissoluat, & in mitiorem substantiam conuertat, hinc vlcus à fluxu acri & humoribus illis liberum, natura ipsa, suo balsamo persanat, est enim in omnibus partibus, vlcere affectis, balsamum illius partis conuersum in salitam acrem, & corrodentem substantiam, quod nisi in alienam substantiam

conuertatur aut auferatur, nunquam possunt
vlcera curari.

Sumitur in iusculis vel panatellis, vel ouis for-
bilibus, mane ieiuno stomacho, ad quantita-
tem ʒ ss.

Si è magmate rosarum rubrarum, spiritus omnis
seu acetum sulphuris cum tinctura sua, non afe-
ratur, sed magma tinctum relinquatur, poterit è
magma, parari puluis, modo siccetur ad solem,
rubicundissimus, è quo deinde possunt fieri ele-
ctuarua solida, gratissima, & phtificis & aliis omni-
bus affectibus prædictis inseruientia.

De tinctura florum pœonia.

CAP. X.

TINCTURA florum eadem methodo, ac
tinctura rosarum rubrarum extrahitur, at lo-
co aceti sulphuris, sumendus est spiritus acetosus
vitrioli, ad efficaciam medicamenti, & tincturæ
addere spiritum pœoniæ, & sic efficies summum
medicamentum epilepticum, & arcanum, cuius
dosis erit ʒ ss. in iusculo, vel in spiritu vini, mane
ieiuno stomacho, per mensem integrum conti-
nuando, purgato prius corpore, aqua benedi&ta
antimonij.

Flori pœo-
nia tinctura
& vires &
v/46.

De tinctura florum violarum.

CAP. XI.

*Violarum
tinctura &
vires.*

TINCTURA violarum simili etiam metho-
do extrahitur, ac tinctura rosarum, ei tamen
addendum est spiritus violarum, aut nenupharis,
ad efficiendum somniferum, efficacissimum & tu-
tissimum medicamentum, cuius dosis erit ℥ β. in
iufculis tempore somni, ad compescenda omnia
inter incendia, dolores omnes & angores, & flu-
xiones omnes compescendas summum balsamum.

De tinctura florum Serpentariae majoris.

CAP. XII.

*Serpentaria
florum tin-
ctura & vi-
res & usus.*

SERPENTARIA major florem emittit pur-
pureum prægrandem, cubitalem, nempe, hunc
sumere oportet, & succum eius exprimere torcu-
lari, collecta maxima copia huius succi, imponen-
da est vitreo vasi, cum modico fermenti, & vitreo
vase clauso, seponenda est in loco frigido, vt in
cella vinaria, vt deferueat, postquam deferuuerit,
extrahendus est, distillatione leui, spiritus athe-
reus, & rectificandus est quater aut septies, hic
spiritus rectificatus denuo infundendus est, super
nouos serpentariae flores, cum aliquantulum ace-

ti sulphuris, & in phiala vitrea optimè clausa, omne illud asseruare oportet per mensem integrum, in hypocausto aliquo: deinde tincturam omnem exprimere, & extrahere, tincturæ huic addere oportet, & salem volatilem, & salem fixum, ex toto corpore herbæ extractum methodo prædicta, sic efficies mirandum arcanum cuius vires sequentes sunt.

Vires & Vfus.

1. Hoc arcanum ophthalmicum est mirandum, nubeculas enim omnes, caligines, albugines illinendo percurat, sua enim dulci & mediocri ac subtili acrimonia, viscosos illos humores dissoluit, & discutit.
2. Fistulas, & vlcera omnia concaua, & depascentia abstergendo, ad cicatricem conducit, continet enim sal balsamicum omnium vlcerum.
3. Ad vulnere etiam recentia, & inueterata & in vlcus putridum redacta, summopere valet, & præsertim conducit omnibus vulneribus, à venenatis animalibus inflictis propter salem quem in se continet, & naturalem, serpentariæ vim contra venena.
4. Scabiem omnẽ, pruritus, serpigines, herpes, & psoras ipsas illinendo sapissimè, curat, misso prius sanguine, & purgato corpore, & refrigerato hepate, aliquantulum, medicamentis topicis, ad hoc aptis.
5. Scrofulas & cancrum ad cicatricem sanam conducit, postquam emortua fuerint arcano

mercurij, vel arcano arcenici, in quibus solis consistit vera, & tuta cura cancri, & scrofularum.

6. Internè sumptum, sanguinem admodum purificat, hepatisque vitiis medetur, ita vt initia lepræ profliget, sanguinis enim vitiati salis balsamici corruptelam, dissipat, & foras pellit, ad cutem per sudores & vrinas, & hæmorroidas excitando.

Sumitur in iusculis mane, ieiuno stomacho, ad quantitatem ʒ ss. ad ʒ j. vel admiscetur theriacæ optimæ, & fiunt pillulæ, & vorantur summo mane, idque continuando per mensem integrum. Exterius verò applicatur per se solum illinendo, lintheis eo arcano madidis, super vlcera impositis.

Si ex aliis floribus tincturam extrahere, quis cupiat, poterit ad hanc similitudinem extrahere, vt ex floribus violarum recentium, & nenupharum, & papaueris, ad nepenthes faciendum tutissimum, cum spiritu horum florum, & spiritu acetoso sulphuris, ex floribus calendulæ etiam similiter poterunt extrahi tincturæ similes, ad menstrua prouocanda, & cor exhilarandum.

De quinta essentia Cucumeris agrestis.

C A P. XIII.

*Cucumeris
agrestis es-
sentia &
vires &
usus.*

CV C V M E R agrestis, tantas atque laude dignas habet vires, vt scammonio præferri mereatur, eius autem virtus in humoribus aquosis

& crudis educendis tanta est, ac violens, vt ea ratione, & sola hac occasione contemnatur, nihilominus tamen Medici hypocratici, nequeunt hydropicos perfecte euacuare, quin elaterio (quod est eius succus aliquo modo præparatus) vtantur, attamen si perquamoptimè præparetur, arte Spagyrica, euadit summum, & gratum, & benignum admodum medicamentum, hoc autem fiet, sequenti methodo. Ex succo illius extrahendum est sal volatile illius, & sublimatione purificandum est, ad candorem sufficientem: & spiritus etiam æthereus est extrahendus, methodo prædicta, in antecedentibus capitulis, & summopere rectificatus, sali volatili coniungendus est, huic demum connectendum est, ad perfectionem vltimam, sal fixum, quod extrahetur ex tota, planta combusta & in cineres redacta, ex his autem cineribus perlixium, filtrationes, euaporationes, & calcinationes, & solutiones, per vices multas iteratus, extrahitur tandem, sal illud fixum, purum, & mundum, quod superioribus partibus, spiritui scilicet & sali volatili coniunctum, absoluit arcanum Spagyricum, quod ex his paratur, referuandum in phialis vitreis optimè clausis ad vsus varios.

Vires & Usus.

1. Præcipua eius arcani vis, & efficacia est in educendis crudis & serosis humoribus, qui in hepate, & venis ab imbecillo calore generantur, & ab expultrice facultate nequeunt foras protrudi, propter quantitatem, aut eius imbecillam actionem. Ideo commendatur

præcipuè ad hydropicos curandos affectus, serosos enim illos humores & crudos, euacuat.

2. Quartanam febrem difficilem admodum curatu, ob difficilem & tardam humoris melancholici coctionem, tertia aut quarta dosi, per tot vices iterata, tutissime curat, quod euacuando illos serosos humores, & crudos, hepar admodum confirmet, & refocillet, suo balsamico sale fixo.
3. Fædos virginû colores etiam curat, quod euacuat serosis humoribus, hepar calefaciat, & sanguinem purificet, ad lepram itidem, & qualecumque vitiati sanguinis vitium, malumque dogmaticè & summa cum ratione offertur.
4. Anhelosis & suspiriosis in genere subuenit, quod catarrhi materiam omnem auferat, & siccet tumentia pulmonum humoribus solitis bronchia.
5. Impetigenem, lepras, vitiliginem, nigras cicatrices, & faciei maculas omnes expurgat, & abstergit, propter corrodentem quem in se continet salis spiritum.
6. Sturium doloribus succurrit, quia siccet humores in aures defluentes, cerebrumque purgat ab omni seroso humore.
7. Veteres omnes tumores discutit propter eandem rationem, & quod etiam humidum radicale partis tumentis, à tumore affectum, & ferè extinctum refocillet & renouet.
8. Podagram omnem, & quemcumque arthridis dolorem & affectum certissimè & tutis-

simè curat, interius vtendo, exterius verò, mitigat dolores omnes & aufert.

Sumitur ad quantitatem ʒj. in iusculis vel ouis sorbilibus, mane ieiuno stomacho, vel in sympo rosato, exterius verò applicatur, illinendo frigida, quia dum calefit subtilissima eius pars quæ est efficacissima euanescit, omnia enim arcana spagyrica, quæ in se spiritus æthereos habent, si externis applicentur, calefieri non debent: quia ex se satis admodum calida sunt, & quod calefaciendo, eorum pars efficacissima, euanescere solet.

De quinta essentia Sambuci.

C A P. XIV.

EX fructibus Sambuci maturis paratur arcanum vterinum ex sententia, Quercetani, mirum, & stupendum, cuius arcani grana quindecim si dentur ægrotanti suffocatione matricis affectæ, illico leuatur, paratur autem talè arcanū hoc modo. Depuratur succus, postquam expressus est, ex granis Sambuci maturis, & in scutellis vitreis mundis reponitur, ad siccandum in calore solis, vel in balneo tepido, ponitur ad distilladum quicquid erit superflue humiditatis ex magmate, parantur deinde pillule ponderis granorū quindecim aut viginti, & seruantur ad vsus, ex tota verò planta, paratur arcanum hoc. Colligitur maxima quantitas florum, & foliorum, contunditur

& exprimitur succus, cortex verò & lignum integrum comburitur, & in cinerem, conuertitur, ex cineribus, sal extrahitur, & purificatur, vltima purificatione, vt antea factitatum est, in preparatione reliquorum, fixorum, salium: succus verò florum, & foliorum depuratus, postquam per mensem integrum deferuuerit distillandus est, lentissimo calore, & ex eo extrahendus est, eius spiritus æthereus ardens, & quater rectificandus à phlegmate, magma verò huius distillationis postquam vindicatū est, omni phlegmate leuissimo calore, non Empyreuma redoleat, imbibendum est, suo spiritu æthereo, & ardenti, à suo phlegmate puro, & deinde iterum ter quater, distillandus est ille spiritus æthereus, donec sale volatilem extraxerit, è magmate suo, hîc deinde spiritus, suo sale volatili impregnatus, incorporandus est cum sale fixo suo puro, & nitido in balneo tepido, in phiala oblongi colli & perquam optimè obturata, ne euolet spiritus, antequam vnietur suo sali, hoc deinde sic vnietum, conseruandum est in phiala optimè clausa ad vsus suos.

Vires & vsus.

1. Pituitam & omnem serosum humorem trahit vi magnetica, caloréque naturalem fouet & auget, vnde mirificè senectutem retardat.
2. Febres intermittentes ferè omnes, quartanam præcipuè, & quotidianam curat, quod serosos humores ex longinquis corporis partibus trahat, & sanguinem purget & suo sa-

le viuificet , & à corruptione præseruet.

3. Podagram , chyragram , & omnem arthritidis dolorem , tuto solatio tollit , quod dissolutum tartarum , salemque , foras pellat , reliquumque , dissolui non permittat.
4. Suffocationem & omnes vteri affectiones , tam citò , & velociter curat , vt magicum ferè videatur fore medicamentum , vt incantamento quodam , videatur ægrotantes subleuare , putrentes enim humores quoscumque , ex stomacho , vtero , & inferioribus reliquis partibus , cor cerebrumque infestantes citissimè trahit.
5. Leucophlegmaticos , leprosos perquam optime iuuat , salem enim naturalem corporis dissolutum , & corruptum , iterum congelat & coagulat , vel foras pellet , reliquum autem ne dissoluatur præseruat.
6. Visus & auditus imbecillitatem , & reliquorum sensuum , tam externorum , quam internorum mirificè tollit , quod calidum innatum iuuet , & spiritus animales augeat , detrusis foras serosis , & frigidis humoribus , qui potissimum spiritus & calidum innatum infirmare solent.

Sumitur in iusculis mane , ieiuno stomacho ad quantitatem dragmæ vnius , vel duarum , cum regimine & custodia , per tres auroras continuando , & deinde intermittendo , quindecim aut decem dies , & iterum repetendo tres aut quatuor dies , donec abierit infirmitas.

De quinta essentia ebuli.

C A P. X V.

Essentia
ebuli vires
& vsus.

EBULI essentia extrahenda est autumnii tempore, vt ferè omnes aliæ essentia, quarum tempus, quamuis in superioribus capitulis in omnibus non dicatur, tamen non accusandum est hoc opus obliuionis, quod in capitulo superiori libri primi huius rei particulari, (Quod necessarius sit ad extrahendas essentias cœlorum benignus influxus,) dixerim omnes essentias, extrahi posse commodissimè, autumnii tempore, & veris, quod in his potissimū temporibus vigeat, natiuus herbarum calor vniuersaliter, & quod etiam sæpissimè & ferè semper, ignoretur, planetarum ascensus, qui sympathiam habent cum herbis nostris terrestribus, quod potissimum foret scitu dignissimum, ad commodissimum tempus habendum in extrahendis essentijs & corroborandis earum arcanis, quapropter cum id ignoretur ad tempus generale quo sol viget, qui est planetarum, omnium & reliquarum, stellarum vigor & robur, confugiendum est. Autumnii ergo tempore colligenda sunt grana racemosa ebuli, quia tunc temporis matura sunt, & exprimenda, vt deponant succum, qui est reseruandus in Dolio ligneo, instar vini, vt deferueat, more etiam vini, postquam deferuerit, distillandum erit leuissimo igne, omne illud humidum quod primo igne ascendit

cendit & in ascensu strias facit, instar aquæ ardentis, postquam strias omnes vides, euanescentes, nutandum est receptorium, & colligendum est phlegma ascendens, quod rectificatum, & quater aut quinques redistillatum, conseruabis, ad purificationes, faciendas salis fixi, quod extrahes, ex cineribus radicis, & foliorum ebuli. Spiritum autem æthereū, qui primo igne ascēdit, rectificabis quinques, aut septies, donec à phlegmate purum sit, quod signis communibus, cum aqua ardente cognosces: similis enim est ratio, & *methodus purificandi* hunc spiritum, & alios omnes, qualescumque sint. Habito hoc spiritu puro, & ab omni phlegmate, vindicato, ad radices & folia, & truncum ebuli deuenies. Quæ omnia combures fortissimo igne, & in candidos cineres reduces, ex quibus deinde cum phlegmate superius reseruatō, elicies salem purum, fixum, multoties iterando, calcinationes, solutiones, & euaporationes, donec purum sit & candidum, vt crystallus. Quod deinde sal, connectendum erit cum spiritu suo æthereo, superius reseruatō, in balneo tepido, in matratio oblongi colli, obturato, ne respirent, & leuissimo illo foru inuicem coniungantur, & fiant vnum mirum, & stupendum ad morbos varios, magnos, & fere incurabiles curandos.

Vires & Vfus.

1. Hydropem quemcumque, curat sæpius iterando dosim per interualla, ne vires quæ leues sunt & mediocres pereant. Quod salem solutum in corpore foras pellat, & reli-

Vires essentia ebuli.

quam quod solutum non est, solui non sinat, imò, firmioribus retineat compagibus. Mirum fortasse erit Galenicis medicis, quod hydropicum salem solutum appellem, in hanc ego potius sententiam abeo, quæ asserit morbos omnes, ex sale sulphure, & mercurio, ex statu naturali & debito, deiectis, quam in eam quæ asserit, ex humoribus qui visuntur in corpore dependere, in ipsis enim humoribus latitat illud sal, illudque sulphur, illeque mercurius, quem Galenus, & Hyppocrates ob Chymicæ artis inscitiam non cognouerunt, qui certè aucthores vt oculati & auctissimi, si reuiuiscerent, & opera Chymicarum viderent, in eam ipsimet sententiam abirent.

- 2, Quartanam & omnes procul dubio febres, intermittentes, curat, ita vt feбри fuga dici possit, quod mercurium corrumpi non permittat, nec sulphur, nec sal, nec tartarum in copiosam & præter naturam excrescere molé.
3. Arcanum est summum ad arthritidem omnem curandam, & omnes eius dolores citissimè cedandos, si tepidè cum gossipio eo arcano madido, partes dolentes foueantur, quod salis soluti acrimoniam neruos musculos & ligamenta ferientem retundat, suo balsamico sale.

Sumitur in iusculis, in ouis sorbilibus, vel formatur in pillulas, vel tabellas & voratur ad quantitatem dragmævnus, vel duarum, in robustioribus natutis, & id mane ieiuno stomacho, seruato regimine & custodia.

De quinta essentia Centauræ majoris
& minoris.

CAP. XVI.

EX floribus Centauræ vtriusque cum spiritu Centauræ
essentia.
vini, & aceto sulphuris, extrahitur tinctura,
mediocriter purgans, & humores serosos edu-
cens, nulla molestia, nulloque vomitu. Huic tin-
cturæ essentiam si addas, stupendum euadet me-
dicamentum, extrahenda autem est essentia, simi-
li, ac pari methodo, ac in præcedentibus capitu-
lis extracta est: de reliquis plantis scilicet post-
quam ex succo centauræ vtriusque spiritum ex-
traxeris, eumque rectificatione purificaueris, &
ab humido aqueo depuraueris, sali fixo, ex cine-
ribus eius extracto, & lotionibus sæpius iteratis
depurato, eum spiritum coniunges, & connectes
in balneo tepido, tunc demum ambo simul con-
iuncta, postquam erunt vnum, connectes iterum
tincturæ superius allatæ, & seruabis vt medica-
mentum pretiosum.

Vires & Usus.

1. Est Catholicum Spagyricum, mirandum ad
educendos quoscumque humores noxios
& peccantes, quamuis ex simplici vno me-
dicamento pareretur. Sunt enim in eo diuer-
sæ partes, & omnes cathartice, & singulæ,

Vires &
Usus essen-
tia Centauræ.

singulos, & similes educunt humores peccantes.

2. Anorexiam imprimis, & cibi fastidium tutissimè curat, quod serosos tartareos, salitosque humores, in ventriculi lateribus stagnantibus, & adhærentibus, foras, educat potentissimè, hinc causam sæpissimè februm intermittentium pellit.
3. Nullum est præstantius medicamentum, quo consulo, ut utantur omnes, qui sanitatem infirmam habent, & eos omnes qui podagra, chyagra, gonagra, & similibus doloribus tentantur, quod nulla molestia causam morbi foras pellat, vulneribus recentibus, & oculis læsis medetur.
4. Vermes, & putredinem quancumque intestinorum, in pueris & infantibus, tutissimè foras educit, vermiumque generationem impedit, propter acetum sulphuris, quod tinctura in se continet, & propter salem Centauræ, qui propter eius naturalem amaritudinem, & siccitatem, putrentia illa animalia, fortissimè enecat.

Sumitur in iusculis, in ouis sorbilibus, in panatellis, in sympis & in agnis appropriatis, ad morbum quem curare cupis, ad quantitatem ʒij . mane ieiuno stomacho, seruato regimine, & custodia.



De quinta essentia brassicæ marinæ.

C A P. XVII.

VERIS tempore colligitur maxima copia brassicæ marinæ, quam & nonnulli soldanellam dicunt & appellant, tunc enim temporis succi, plena est, & turget vitali nectare, & dum expressa est maxima copia succi, reponitur, ad deferuendum in cella vinaria, in vasis vitreis, aut aliis conuenientibus, postquam deferuuerit, distillandus ille succus leuissimo igne, & extrahendus est, tali distillatione spiritus eius æthereus, & quater aut quinquies rectificandus, donec à phlegmate agnoso purus sit: deinde si vis, magmati residuo reddendus ille spiritus purus, & à phlegmate vindicatus, & leuissimo calore per aliquot dies fouendus est: deinde iterum distillandus, & magmati iterum reddendus, & redistillandus iterum, donec sale volatili impregnatus sit, quod fiet in tertia, aut saltem quarta distillatione, in qua ascendet sal ille volatilis, instar niuis, candidus, & adhærebit lateribus vasis, & capitelli distillatorij. Hic deinde sal volatilis vna cum spiritu volatili, coniungenda sunt, & connectenda cum sale fixo, qui extrahetur ex cineribus foliorû, caudicis, & radicis soldanellæ siccæ, secundum methodum antea prædictam, in capitulis præcedentibus aliis, eadem enim methodus est seruanda, tum demum omnia simul coniuncta seruanda sunt, in vasis vitreis peroptimè obturatis, ad suos vsus.

*Brassicæ
marinæ es-
sentia.*

Vires & Vfus.

Vires &
 vfus essen-
 tia Brassi-
 ca.

1. Erunt fortasse Medicorum dogmaticorū hypocraticorū quamplurimi, qui brassicæ marinæ essentiã explōdent, ex antidotariis, quod brassica marina ex toto, sit stomacho inimica propter acrimoniam suam: cuius ratione, ventriculi tunicas vellicat, imò erodat, vnde vomitus implacabilis exsurgit, & hinc sequitur apexis primæ coctionis, cuius læsione, & cæteræ omnes sequentes coctiones quæ in hepate, & venis fiunt, læduntur, hinc lædi totam corporis œconomiam oportet, nec est quod dicamus essentiã hanc, acrimoniam parem cum planta non habere, quia certum est habere majorem, & multò potentiorẽ, propter sales volatiles, & fixos suæ plantæ, quos continet: qui sales in omnibus plantis acrimoniam naturalem habentibus, igne & arte pyrothecnica, caustici, & vrentes euadunt, vt patet, in sale viticæ, calcis sarmentorum, fabarum, & similibium, è quibus salibus caustica fiunt potentissima: vnde mirum non erit si hæc essentia soldanellæ seu brassicæ marinæ, causticam & vrentem habeat potentiam, cum sales habeat extractos ex planta acri & mordaci. Huic obiectioni dicemus, verum esse sale soldanellæ volatilem, & fixum, nisi ad dulcedinem perducantur, lotionibus, calcinationibus, vltationibus, sublimationibus, & distillationibus & cæteris aliis operatio-

tionibus ad hanc rem necessarijs, fore acres mordaces, vrentes, & causticos, vt & cæteri sales in obiectione enumerati, qui quidè & dulces fieri possunt, iteratis operationibus Chymicis, vt egomet vidi, experientia ipsa, caustica ipsa potentialia, quibus vtuntur chyrurgi ad vrendum, dulciâ facta, & ita dulcia, vt nulla esset ferè differentia inter saccharum, & ipsa salia, & absque vlla noxa esculenta erant, vt mel & saccharum, Sal enim naturæ, quod in centro cuiuscumque mixti residet, (ad formam mixti conseruandam, tanquam semen ipsius speciei) postquã à corporibus heterogeneis omnibus est depuratum, nullo pacto est acre & mordax, & naturæ inimicum, sed dulcè, & naturæ ipsius fulcrum, & fomes, ipsa verò corpora heterogenea sunt ipsamet, quæ acrimoniam mordacitatem, & alias omnes similes qualitates naturæ, hostes, infensas possident, & fouent, vnde nullo pacto verendum est, quin essentia soldanellæ dulcis, mittis, & naturæ amica sit, modo sales sui tum fixi, & volatiles, ad debitam præparationem perducantur, quæ est dulcedo salium antequam simul misceantur, & cõseruètur ad vsus, qui sunt ad purgandum quoscumque humores noxios, & infensos. qui stagnantur primæ regioni, qui sæpissimè fomes sunt febrium intermittentium omnium, & continuarum & aluui fluxus, & similibus affectuum.

2. In podagræ & arthritidis omnis generis causas, & fomites expurgandos medicamentum est

valdè potens, quod sales solutos, & tartarum educat vi magnetica, & naturali, & sympathica.

3. Colusiones omnes mirificè curat, quod præter euacuationem humorum omnium peccantium, neruos, recreet, & refocillet, eorumq; limpiditatè conseruet, & amissam restituat, spiritusq; augeat vitales, & animales.
4. Sanguinem miro modo purificat, quod suo sale, à putrefactione præseruet: eiusq; cruditates impediat suo viuifico calore, & necesse vitali, quodque naturales eius spiritus foueat, & multiplicet.
5. Tumores omnes frigidos, & scirrhosos sola perunctione externa, mediocriter calida, discutit, & calidos omnes tumores phlegmonosos, ad maturitatem perducit, propter caliditatem suam subtilem, & penetrantem quæ in suo sale residet.
6. Scabiem omnem & pruritem omnem siccit & lenit, quod salem corruptum solutionem continui, sua erotione naturali facientem temperet, & ad aliam qualitatem non erodentem transmutet.
7. Lentigines, & maculas omnes faciei, aliarumque partium continua lotionem, tandem discutit, quod sanguinis florem, & vigentem colorem foueat, & nutriat eiusque puritatem multiplicet.

Sumitur ad quantitatem $\text{ʒ} \text{ss}$. ad $\text{ʒ} \text{ij}$. in robustioribus, cum iusculis, & syrupij magistralibus morbo appropriatis & conuenientibus, summo mane ieiuno stomacho, cum regimine, & custodia

iterando dosim, vsque ad curationem perfectam, bis in hebdomada, & si sit morbus cronicus, & longus ter in mense, seruato semper eodem & simili regimine.

Nota quod in extractis omnibus faciendis, si spiritum vini & oleum tartati depuratum, simul permisceas, vna cum extracti magmate, & digeras per diem integrum, benigniora erunt, & nullo pacto vomitiua.

De quinta essentia Pepli.

C A P. XVIII.

VIGENTE cane cœlesti, tempore Iulij mensis, & Augusti, colligendus est peplus, qui & portulaca syluestris, ab alijs dicitur, in maritimis enascens, medicamentum familiare & frequens tempore Hyppocratis, vt passim in scriptis suis apparet, collectus peplus confundendus est, & succus eius exprimendus, maxima in copia. Magma reseruandum est, & siccandum in sole, vel in furno panis, vt deinde siccum comburatur in cineres, è quibus extrahendum erit sal fixum, & depurandum arte, & methòdo antea in capitulis præcedentibus enurrata ad sumum candorem. Succus verò expressus reseruandus erit in vasis vitreis, aut ligneis in loco frigido, vt deferueat, postquam deferuuerit, distillandus erit leuissimo igne, vt spiritus eius æthereus separetur à phlegmate, quod fiet tribus, aut quatuor distillationibus iteratis, separato phlegmate, in singulis distillationibus,

Vires essentia pepli.

quod in fundo residet alembici, & cum quadam difficultate ascendit. Postquam spiritus talis separatus est ab omni phlegmate, conuertendus est cum suo sale fixo, & seruandus est ad vsus.

Vires & vsus.

Vires essentia peplo.

1. Quoscumque humores educit & erat catholicum Hippocratis, & Medicorum antiquorum, quorum tempore, Rheubarbarum, senna & cassia, reliquaque medicamenta benignissima ignota erant, peplo enim solo & helleboro purgabant, iam vero in vsu non sunt, quod fortiora sint medicamenta, viribus hominum nostratium. Quapropter in essentiam redegit, vt eorum vis retudatur, & refrenetur eorum venenum, aut potius extinguatur, positus ita vt sine vlla noxa propinari possit.
2. Arcanum est summum in arthritide curanda, febre quartana, quotidiana, & paralyti particulari membri alicuius, & totius corporis, adnotum membris calidè, & interius assumptum ex arte & regimine.
3. Tumores omnes frigidos & schirrofos discutit, & emollit, exteruis illinendo propter suum spiritum æthereum quem continet, qui penetrando frigidos illos humores & tartareos dissoluit, tanquam contrarios.

Sumitur ad quantitatem dragmæ vnius ad duarum in robustioribus cum iusculis & syrups morbo appropriatis & conuenientibus, itaque ic-

iuno stomacho, & mane cum regimine & custodia.

De quinta essentia colocynthidos.

C A P. XXIX.

COLOCYNTHIS colligenda dum matura est, & cin pallidum mutatur colorem & contundenda in mortario ligneo, aut marmoreo vt succum emittat omnem, quem percolatum repones in vasis ligneis vino continendo appropriatis, in cella vinaria, vt deferueat, quod vt fiat maiori celeritate, & præcipiti temporis spatio, addes aliquid spiritus vini, à phlegmate puri, cum bona quantitate fermenti: Hac enim methodo omnes herbarum succi, citius deferuescunt, & copiosiorē dant spiritum æthereum, dum distillatione leui, coguntur ad ascensionem. Postquam hac methodo colocynthidis succus deferuuerit distillandus erit leuissimo igne, donec strias non faciat in capitello alembici: signum præcipuum ascensi spiritus, qui rectificatus & à phlegmate purus, si reddatur magmati suo salem volatilem extrahit, qui arcani vires mirificè multiplicat. Hic spiritus, & sal volatilil, connectendi sunt cum sale fixo qui extrahi poterit ex tota planta sicca, & combusta, & in cineres redacta, ex his autem cineribus, arte & methodo sæpius in capitulis præcedentibus enarrata, extrahitur illud fixum sal, quod ab omni terrestri recremento vindicatum, & præcedenti-

Colocynthidos essentia.

bus alligatum, arcanum perficit omne, quod vires sequentes habet.

Vires & vsus.

1. Pituitam & bilem purgat, propter parem & similem quem continet in se succum, vnde pituitosis & biliosis affectibus, mirificè conuenit.
2. Arcanum est summum in curandis & sedandis dentium doloribus, quod sua caliditate perennes catarrhi fontes exhauriat, & neruum foueat dentis, suo viuifico nectare, quod & spiritus omnes fixos, & influentes recreet.
3. Si eo arcano ischiadici calide perfrigentur mirum in modum à doloribus soluuntur, propter spiritum salis quem continet, qui alium salem solutum, dolorem facientem mitigat, & in aliam permutat naturam, partelque dolentes, recreat, refocillatis spiritibus, & conuocatis, maiori in copia.
4. In quartanis & quotidianis febribus curandis, mirè efficax, quod harum febrium causas continentes, efficientes, et materiales, foras euocet, humoresque has febres efficientes, putrefieri non sinat, at in suo naturali, et viuifico centro purissimè coërcet.
5. Neruorum resolutioni maximè prodest, et quod mirum est cordi, iecori, et ventriculo maxime prodest, et tamen planta cruda, maximè aduersatur, et præcipuè intestinis, interdum enim et sæpius, cruorem elicere solet, corrosis intestinorum carnosis membranis, essentia vero hæc nullo modo, partibus

Vires essentia Colocynthis.

vllis nocet, sed benignissima, succurrit earū affectibus morboſis.

Sumitur ad quantitatem dragmæ ſemis, aut vnius, cum iuſculis et ſyrupis, idque mane ieiuno ſtomacho, ſeruato communi medicorum regimine et cuſtodia.

De quinta eſſentia Apij.

CAP. XX.

Radix Apij, tempore veris colligenda eſt, et à *Apj eſſentia.* terreſtri recremento, lotionibus multis probè emungenda, deinde contundenda, et ſucus omnis ex ea exprimendus, et reponendus in phialis, in loco frigido, ad deſeruédum, poſtquam deſeruuerit, diſtillandus, leui igne, vt ſpiritus eius aſcendat deinde rectificandus, vt à phlegmate, et humore aquoſo vindicetur. Rectificatus ſpiritus, magmati reddendus eſt, vt ſal volatile quod magmati ineſt, per cohobationem ſpiritus rectificati, et macerationē debitam paſſi, extrahatur, extractumque ſublimationibus iteratis purgetur, ab omni terreſtri excremento, tum demum coniungatur ſpiritu ſuo, ſal vero fixū è magmate vel è tota radice ſicca, per combustionem et incinerationem extrahatur, et purificetur, methodo generali antea dicta, deinde omnia pura ſimul coniungantur, et ſeruentur ad vſus.

*Rheubarbari
essentia.*

1. Arcanum hoc mediocris est virtutis, ad humores seorsum educendos, qui in corpore putrescunt, purgat benigniter bilem, & pituitam propter sympathiam, quam habet cum his humoribus, eius spiritus & sal tum volatile & fixum.
2. Discutit tumores internos hepatis, & lienis, aliorumque viscerum sua tenuitate, & penetrandi facultate, quam habet per spiritum salis volatilis, quem in se coërcet.
3. Diureticum etiam est medicamentum, Renes purgat, & vesicam, lapidemque, & arenulas rumpit, & dissolvit, per suum spiritum salis, dissolutum, qui coagulata omnia, & in lapidem indurata emollit, & dissolvit, etsi per eum ipsum spiritum non dissolutum, sed in sua natura stantem omnia coagulentur.

Sumitur ad quantitatem dragmæ vnius ad duarum in robustioribus idque mane ieiuno stomacho seruato regimine & custodia, cum iusculis & syrupis, vel in extracto aliquo purgatiuo, & parū aquæ cinnamomi fit gratissima dosis, ad purgandum quoscumque humores.

De quinta essentia Rheubarbari.

CAP. XXI.

*Rheubarbari
essentia.*

SIRheubarbarum recens & succi plenum haberi in his regionibus possit, arcanum mirandum

ex eo parari posset methodo simili, & pari arte ac in alijs nostratibus plantis, sed cum siccum, aridum, est succo suo alimentitio & vitali emunctum in nostras regiones asportetur, mutanda est methodus extrahendi eius essentiam, quæ propriè loquendo, non est essentia, cum spiritus eius & sal volatile, quæ principales sunt essentiæ partes desint, & non reperiantur in nostro Rheubarbaro, sed est potius extractum & media essentia, cum non contineat secum, quam aliquid tincturæ spiritus, & sal omne fixum, quod tamen magnam habet purgandi vim, si ritè paretur, vt videre licebit per experiētiam extrahetur autē eius tinctura & sal suum fixum sequenti methodo. Rheubarbarum tritum, & in puluerem redactum immittes in aquam roris Maij, ter aut quater distillati, vt stent in digestionem, in cineribus tepidis, per quatuor aut quinque dies, donec perquam optimè tinguatur aqua in colorem rubicundum: seperata hac aqua tincta per inclinationem, ne eius limpeditas perturbetur, infundes aliquantulum, aut quantum sufficiet aquæ roris, vt prius, vt denuo, per macerationem quatuor, aut quinque dierum tinguatur vt prius, hæc aqua recenter tincta priori permiscebis, & aliam nouā aquā roris iterū infundes super magma, Rheubarbari residuum, & macerabis, donec, non amplius tinguatur aqua, quam infundis super illud magma residuum. Quod tinctura omni sua priuatum illis iteratis infusionibus, combures, & in cineres albissimos reduces, postquam siccatum fuerit in sole, vel in igne temperato, ex his cineribus, salem extrahes fixum quod in his inerit, idque, separatum absque vlla

alia præparatione & lotionè, permiscebis tincturæ antea extractæ, & reseruata, ad partem, hæc ambo duo simul coniuncta, in balneo calido, aut in cineribus téperatis, leuissimè distillabis, donec humidum omne ascenderit, cauendo, ne inter distilládum magma, quod residet in fundo alembici, inopia humoris & violentia ignis comburatur, & empyreuma redoleat. At maneat magma residuum, liquidum satis, veluti mel, aut butyrum, in quo gradu desistendum est, à distillatione, & pars humida omnis quæ per distillationem ascenderit denuo magmati residuo, connectenda est, vt denuo dissoluatur magma, & si non suffieit humidum ascensum, ad dissoluendum, addendum est nouum similis substantiæ, vt perficiatur dissolutio, quæ postquam per aliquot dies in cineribus tepidis digesta fuerit, filtro est transmütanda, vt clarificetur, & partes omnes heterogenæ & terrestres quæ non potuerunt dissolui, relinquuntur in fundo, & separentur à partibus homogeneis, quæ dissolutionem passæ sunt, hanc iterum filtrationem distillabis tenuissimo igne, vt prius, cauendo semper, ne violentia ignis, & præcipiti distillatione, magma quod solet in fundo residere comburatur, sed humidum aliquantenus permaneat vt mel. Quod iterum dissolues, vt denuo à fecibus, & excrementis terrestribus vindicetur. Hanc operationem septies iterabis, seruato eodem ordine, & simili methodo: in septima & conualesces, & magmati residuo, grana aliqua scammonæ spiritu vitrioli dissoluta addes, & coniunges & seruabis, ad vsus, in plialis perquam optimè obturatis.

Vires & Vfus.

1. Innocens, clemens, & excellens est medicamentum, multas dotes medicamento purgante maximè expetitus complexum, in obstructionum affectibus mirè efficax vnde omnes affectus quos generant obstructiones certissimè curat.
2. Sanguinem clarificat vnde lepræ initia profligat lentigines & vitiligines admotum & assumptum curat, quod spiritum salis qui omnia à corruptione præseruat, & corrupta consumit.
3. Aquam intercutem, regium morbum, lienis crassitiem ac diuturnas febres quascumque continuè sumptum per interualla tandem sanat; quia soluit omnes obstructiones, soluit autem eas propter eius spiritum qui omnia penetrat & dissoluit tartarea, & spiritu salis coagulata.
4. Vermes infantium enecat, & tutissimè propter eius benignitatem pueris & infantibus & lactentibus offerri potest, ad sanandos eorum affectus.
5. Dissenteriam & quoscumque alui fluxus etiam curat, modò spiritui vitrioli & croco martis connectetur. Hoc istud, mucosos intestinorum humores, & acres ichores foras educit; spiritus verò vitrioli putrefactionem inhibet & leniter astringendo, intestina recreat; crocus verò martis omnino astringit & prohibet fluxum.

Vires & Vfusessentia Rhenobarbari.

6. Datur etiam ab alto deuolutis, ruptis tam internè quàm externè fractis maximo iuamento, si essentiaë Mumiaë addatur & coniungatur.

Sumitur ad quãtita'tem drachmã vnus ad duarum, in infantibus & lactentibus à scrupulo vno ad duos in syrupis morbo conuenientibus, & aquis stillaritiis morbo etiam appropriatis, idq; manè, ieiuno stomacho, seruato artis regimine, nulla tamen custodia propter eius benignitatem, imò vt motus eius perficiatur celerius, & potentius, deambulandum est, & foras eundem vt motus sit velocior.

De quinta essentia Agarici.

C A P. XXII.

es- **A** G A R I C V M cùm sit fungus in arboribus variis & multigenis enascens, etsi recens ex Italia aliisque regionibus ex quibus in nostras regiones exportatur, haberi possit: succus eius tamen alimentarius & vitalis extrahi non posset, cum fungorum genus omne exsuctum sit, & omni ferè alimentario liquore priuatum, cum uiuat ex succo arboris cui adheret, & excrementum sit illius arboris, quod assolet esse siccum & aridum: quocirca eius spiritus haberi non potest, cum paucus sit ilque fixus & tale volatili suo connexus: hinc alia via & methodo procedendum est in extrahenda eius essentia, quàm in aliis capitu-

lis præcedentibus: extrahetur autem sequenti metho- do. Agaricum, tritum & pulueratum dissol- ues in spiritu æthereo rosarum pallidarum, aut in spiritu alio purgante, & solutiuo, & id omne col- locabis in vitro optimè clauso, in cineribus tepi- dis ad digerendum per mensem, transacto men- se per inclinationem spiritum clarum & limpi- dum, à fœculenta agarici materia separabis, & fil- tro transmittes, vt vindicetur à corporali agarici materia. Hunc spiritum substantia tenui agarici imprægnatum custodies in vitro optimè clauso; magmati verò residuo alium addes spiritum simi- lem priori, & digeres per octo dies in vitro clau- so, in cineribus tepidis. His actis diebus, separabis spiritum tuum per inclinationem, & transmittes, & priori coniunges: deinde magmati spiritum optimum vini, alcoholizatum & ab omni phle- gmate septimis distillationibus iteratis priuatum addes & connectes, & leuissimo igne distillabis, separato phlegmate, in singulis distillationibus, donec sal volatile agarici ascendat vna cum spiri- tu vini: sal istud volatile vnà cum spiritu vini con- iunges prioribus spiritibus antea distillatis: magma verò residuum post siccationem combures igne fortissimo, & in cineres albissimos reduces, ex quibus cineribus per solutiones, filtrationes, calci- nationes, & euaporationes sæpius iteratas, sal ex- trahes candidum & limpidum vt crystallus, prio- ribus spiritibus coniungendum & connecten- dum. Hæc omnia deinde post debitam macera- tionem & digestionem leuissimo igne erunt di- stillanda, donec magma residuum habeat consi- stentiam mellis, aut syrupi non perfectè cocti, cui

magmati suum spiritum distillatum reddendum erit, & iterum connectendum, vt dissoluatur, & post debitam trium aut quatuor dierum digestionem, filtro omnia dissoluta erunt committenda, vt probè ab omnibus recrementis terrestribus, & heterogeneis extractum agarici vindicetur, demum filtratum omne, postquam clarum fuerit, & bene limpidum distillationi leuissimæ erit committendum, donec magma habeat consistentiam syrupi non perfecti cocti. Magma istud erit seruandum in phialis optimè clausis addito oleo, cinnamomi, ad saporis conciliationem: spiritus distillatus erit seruandus ad extrahendas similes essentias ex medicamentis siccis, veluti è sena, scammonia & similibus.

Vires & vsus.

Vires & vsus essentii agarici.

1. Arcanum prædictum præcellit Agarici vires, deiecit vtramque bilem, ac etiam pituitam ipsam, crassos & lentos, & putrescentes quoscumque humores expellit, quod sulphure & sale fixo, & volatili præditum sit, quæ omnia, naturali sympathia humores corruptos trahunt, reliquosque corrumpi non permittunt sunt enim persistentiæ & permanentiæ materiales causæ.
2. Cerebrum, omniumque sensuum organa expurgat, quod frigidos humores & viscidos qui cerebrum sua frigiditate interturbant, & sensus obtundunt diminutis aut saltem refrigeratis spiritibus, qui robur omnium sensuum conseruant, expellat, & expurget.

- 3 Musculos etiam omnes expurgat, ita vt partes ad motum naturalem sint promptiores vnde etiam ad id plurimum competit, quod excrementa, quæ spinali medullæ pariter & neruis inhæserint, educat.
- 4 Pulmonem ac pectus à lentis, ac putrescentibus humoribus detergit, ac deinde ventriculum, iecur, lienem, & renes, & in mulieribus vterum ab omnibus, quæ earum partium facultates, & naturales actiones interpellant, mundat.
- 5 Compaginum omnium contumacem materiam solui, propter spiritum salis, quem in se continet qui omnia concreta dissoluit, vnde regio morbo affectis, & aqua intercute laborantibus, ac liene vexatis, leuamentum præstat non obscurum.
- 6 Familiaris est admodum medicina, & ad omnes fere corporis partes habet conformitatem: ad plerosque tum capitis, tum cerebri, tum eiusdem membranarum morbos: nempe diuturnum dolorem, comitiales morbum, Apoplexiam, carum, & omnes alios frigidos affectus, vertigines, maniam, atrabilem, & cerebri omnes inflammationes, non imbecilles possidet vires.
- 7 Urinam quoque pellit, & menses commodè ciet, propter eius sulphuris balsamum quod continet, quod suo naturali sale omnia aperit & reserat; vnde sanguinem miro modo expurgat, ac proinde totius corporis nitorem frequenter vtentibus commendat.
- 8 Ventris tineas tum enecat, tum deijcit suo sale,

qui horum animalium generationem impedit, quod impediatur salem naturalem corporis, in aliam permutari substantiam & alterationem pati nullam, sed in sua naturali virtute & robore conseruet.

Sumitur in iusculis, vel in syrupis morbo appropriatis & conuenientibus ad quantitatem drachmæ vnus vel duarum, idque manè ieiuno stomacho, seruato regimine & custodia; in infantibus verò à scrupulo vno, ad duos, seruato eodem regimine.

De quinta essentia Senæ.

C A P. XXIII.

Sen-
tia. **I**N Hetruria prouincia Italiae, vbi copiosissime Sena seritur, & colligitur singulis annis; vbi recens & succulenta haberi potest, seruanda est methodus similis, & eadem ac in præcedentibus capitulis de extractione essentiarum plantarum nostratium; in quibus diximus, succum herbarum omnium esse extrahendum ad essentias, vt ex eo spiritus & sal volatile extrahantur: hac enim methodo essentiam elicies ex sena mirabilis facultatis. At quia in nostras regiones folia eius asportantur sicca & arida, mutanda est methodus extrahendi extractum eius, quod ex eius folijs fiet pari modo. Folia eius sumenda sunt emuncta ab omni puluere, & re extranea, ad quantitatem libræ vnus, vel duarum, & vitro seu phialæ op-

timè clausè indenda sunt, cui superimponendum est roris distillati quantum satis ad eminentiam quatuor aut quinque digitorum super folia senæ: clausum deinde vitrum, vt dictum est imponendum est in furno digestionis in cineribus tepidis, vel in balneo mariæ tepido, per quindecim dies, donec tinguatur aqua in colorem rubrum subobscurum. Quam aquam sic tinctam separabis per inclinationem, & aliam nouam impones, vel addes aquam reseruatam ex extractione Rheubarbari quæ melior erit, & vires purgandi augebit, ad sufficientem quantitatem & digeres iterum, donec aqua iterum coloretur, vt prior. Tinctam iterum separabis & priori coniunges, aliamque nouam addes magmati, & digeres donec coloretur; hancque operationem toties iterabis, quoties aqua infusa per digestionem colorabitur. Hæ omnes aquæ spiritu seu tinctura Senæ prægnantes distillandæ sunt leuissimo igne, donec magma quod residet in fundo alembici habeat consistentiam mellis. Huic magmati, sua aqua iterum reddenda vt iterum soluatur, & digerenda per aliquot horas, donec optimè solutum sit, & hypostasis solutionis fundum petierit. Tunc demum per inclinationem & filtrationem separanda sunt turbulenta à limpidis & claris: clara iterum & limpida distillanda leuissimo igne, donec consistentiam mellis acquisierint: hæc deinde iterum soluenda, solutaque filtranda, vt limpida euadant, & nullas emittant feces. Quod toties erit repetendum quoties magma in solutione feces relinquet. Desistendum erit cum magma, quod residet in fundo alembici post leuem distillatio-

nem, hyacinthum lapidem preciosum repræsentabit, & in dissolutione nullas emittet feces, sed omne dissoluetur, solutione nullo pacto turbata, atomis per aquam volitantibus: huic extracto sic limpidò & claro addenda sunt, hæc. Sumendæ sunt libræ quatuor, aut quinque foliorum Senæ & alembico terreo descensorio imponendæ, & distillandæ sunt fortissimo igne per descensum, donec folia comburantur omnia, & in cineres albißimos reducantur. Ex hac distillatione separabis aquam: ab oleo, aqua proijcienda est vt nullius momenti, oleum vero quod empyreuma redolet potentissime, permiscendum est cum paucò vitriolo ad rubedinem calcinato, & ambo simul coniuncta retortæ imponenda sunt & distillanda: sic oleum empyreuma deponet, & gratissimum acquirat odorem secunda, aut saltem tertia distillatione. Hoc oleum sic præparatû extracto addes priori, & permiscebis. Ex cineribus autem Senæ ex quibus oleum extractum est per descensum elicies sal fixum, per solutionem & alias artis nostræ operationes antea enumeratas, quod dum ad limpiditatem, & nitorem summum deuectû erit, addes etiam extracto, cum aliquibus guttulis olei cynamomi, & Gariophyllorum, & sic euadet medicamentum gratissimi odoris, & potentissimæ virtutis. In extractione Rheubarbari & Agarici aliorumque medicamentorum siccorum poterit obseruari eadem methodus, & potentiora euadent eorum extracta.

Vires & Usus.

Sena essentia † Educit hoc arcanum pituitam & vtramque bi-

lem vnde cerebrum, cor, iecur, lienem, pulmonem, & omnes corporis sensus mundat, eorúmque facultates, & actiones auget, quod euacuet illud omne quod ipsas impedit, aut diminuit, aut disperdit.

tia, vires & vsus.

- 2 Viscerum obstructions aperit, auget iuuentutem, seniúmque retardat, animique hilaritatem adfert, per salis sui spiritum qui omnia referat, & est caloris vitalis fomes, & pabulum, & spirituum omnium fons & scaturigo.
- 3 In morbis omnibus diuturnis & melancholicis frequens eius vsus commodus admodum est, & vtilissimus; nihil enim morbidum arcanis chymicis resistere potest, cum ipsa arcana, præter medelam morbi quam continent, habeant & vitæ nostræ & caloris vitalis fundamenta, & bases.
- 4 Prodest mirificè delirio, amentia, scissuris totius corporis, resolutioni neruorum, phthiriasi, cephalalgia, scabiei, pustulis, pruritu, epilepsia, & morbis omnibus frigidis, quòd potentissimè frigidus educat humores, & calorem augeat vitalem, & roboret facultates omnes.

Potest reduci vt commodissimè sumatur in pillulas, si scrupulus vnus incorporetur cum mica panis, hæc enim est dosis illius arcani, vsque ad drachmam vnã in fortioribus. Potest etiam dilui cum syrupis morbo conuenientibus, & purum aquæ rosacæ, & cinnamomi stillatitiæ, vt potio gratissima paretur, & propinari manè ieiuno stomacho seruato regimine & custodia. In infantibus verò, & lactentibus cum iusculis, aut cum

condimentis saccharatis, quod morosi sint, & difficillimè medicatas capiant offas, vnde decipiendi sunt quantum fieri potest.

De quinta essentia Turbit.

C A P. XXIV.

*Turbit
essentia.*

IN puluerem tenuissimum reducendum est Turbit, & vitro indendum cum aqua roris Maij distillata: vitrum deinde clausum imponendum est furno digestionis in cineribus tepidis, vel in balneo mariæ tepido per mensem integrum. Mense peracto postquam singulis tribus diebus mensis, digestionis naturam quæ digeritur, agitaueris, per inclinationem aquam Roris claram & limpidam separabis à magmate, filtroque committes, vt turbulentum omne deponat. Deinde magmate aliam nouam & recentem aquam impones, vel ad maiorem efficaciam impones aquam superius reseruatam ex extracto Senæ & Rheubarbari, & iterum digeres per quindecim dies, sepositaque hac aqua, per inclinationem, & commissa filtro, vt optimè depuretur, aliam iterum nouam impones magmati digerendam, per octo dies, quam iterum separabis per inclinationem. Hæ omnes aquæ separatæ, & depuratæ distillandæ erunt leuissimo igne, donec magma quod residebit ex distillatione, in fundo alembici habeat consistentiam mellis. Tum demum vase frigefacto, aquam distillatam magmati reddes, vt dissoluatur, & per

dies duos, aut tres digeres, vt optimè hypostasis seponatur, & fundum petat. Hæc aqua per inclinationem erit separanda ab hypostasi, & filtro committenda, vt optimè depuretur. Deinde iterum distillanda ad consistentiam mellis vt priùs. Hæcque operatio toties iteranda, quousq; magma seu extractum, quod in fundo remanet, nullas relinquat in solutione feces. Tunc demum quiescendum est, & ad magma superius relictum ex infusione prima extracti confugiendum. Cui nouum turbid absque vlla trituratione addendum est, ad quantitatem trium, aut quatuor librarum, & totum omne alembico ad descensum proprio committendum, vt quicquid poterit distillari distilletur, & reliquum comburatur fortissimo igne, & in cineres reducatur albissimos. Oleum quod *extrahere* distillatum est per descensum empyreuma redo- *Empyreuma* lens, postquam ab aqua sua separatum fuerit, retortæ committendum est cum paucis vitriolo ad rubedinem calcinato, & distillandum est ter aut quater fortissimo igne cum nouo & recenti vitriolo imposito, in singulis distillationibus: Sic oleum deponet empyreuma & ingratum odorem. Hoc oleum coniungendum est, cum extracto superiori. Deinde ad cineres turbid conuolandum est, & ex his sal fixum extrahendum arte & methodo antea multoties enarrata, donec candorem & nitorem summum acquirat: hoc demum sal depuratum connectendum etiam est, cum extracto superiori, & totum omne conseruandum in phiala optimè clausa, additis aliquibus guttulis olei cinnamomi, & gariophyllorum.

Vires & vsus.

*Vires &
vsus essen-
tiæ Turbit.*

- 1 Educit hoc arcanum potentissimè quoscumque humores, & præcipuè serosos omnes, & pituitosos, ad articulorum compagines fluentes, propter salem quem in se continet copiosum, & sulphur, quod caliditate sua fugat omnia frigida, & partes refocillat nervosas, & cartilaginosas.
- 2 Ventriculum expurgat, & quæ illi penitus inhærent excrementa detergit: item & pectus à pituitæ lentore emungit, vnde & suspiriosis, & difficulter anhelantibus maximo est iuuamento, propter sulphur, quod in se habet, quod est balsamum pectoris, & pulmonem, & ventriculi robur.
- 3 Datur magno iuuamento aqua intercute laborantibus, item elephantiacis, & lue venerea affectis, & ijs omnibus, qui morbis ab exustis humoribus prouenientibus sunt obnoxij, propter spiritum salis, qui salem solutum nostri corporis foras euocat, & corrumpi non finit, ex cuius corruptela, & solutione elephantiasis, & aqua intercus oriri olent.
- 4 Febribus quotidianis & quartanis maximè etiam prodest, & morbis omnibus in quibus pituita redundat, & chronicis etiam omnibus affectibus, quod citissimè ad pepasimū reducat omnes humores putrescentes in corpore, & naturam refocillet, & sic vnà cum natura coctos expellat humores.

Sumitur ad quantitatem drachmæ semis, ad drachmam vnā, in iusculis, vel syrupis proprijs, & conuenientibus morbo, idque manè, ieiuno stomacho, seruato regimine & custodia.

De quinta essentia Scammonij.

CAP. XXV.

SCAMMONIUM cum sit succus scammonia plantæ exsiccatum iterum dissolui oportet, vt mūdetur à partibus grossis, & terrestribus, eius actionem impredientibus, tum demum pars vna reducatur in oleum, pars altera in muscilaginem mundam & nitidam, quibus si salem fixum harum partium addas perfectum absolues aliquo modo arcanum. In Asia verò in his potissimum regionibus, vt in Mysia, vbi copiosissimè seritur, & colligitur perfectius haberi potest, quia ex succo recenti, & adhuc spiritu pleno potest educi, & eius spiritus æthereus, & sal volatile, quæ duo perfectissimè absoluunt arcanum chymicum. At cum succus solus in nostras regiones asportetur siccus, et aridus, multis festucis aliisque rebus heterogeneis infarctus, necesse est vt aliā excogitemus methodum, qua speciem quandam extracti habeamus ex Scammonio, erit autem eiusmodi. Sumetur Scammonij electi libra vnica, aut altera, & succo limonum distillato dissoluetur, addendo dissolutioni spiritus vitrioli vnciam vnā, vase vitreo obturato ponantur hæc omnia in dige-

*Scammonij
essentia.*

stione tepida, per mensem integrum. Peracto mense distillentur leuissimo igne, donec magma habeat consistentiam mellis. Huic magmati iterum reddenda est aqua, quæ ex eo per distillationem extracta est, & iterum per octo dies saltem digerenda, & post digestionem filtro committenda, vt à feculentis materijs & Scammonio heterogeneis probè mundetur, & deinde distillanda, donec iterum consistentiam mellis acquirat magma, quod residet in fundo alembici. Hæ omnes operationes, solutiones putà, digestiones, filtrationes, & distillationes erunt iterandæ, donec magma nullas in solutione emittat feces, sed totû dissoluatur nullis atomis per aquam dissoluentem relictis. Deinde nouum iterum Scammonium sumendum est, & in minutas concisum partes alembico ad descensum proprio indendum est, & fortissimo igne distillandum, donec omne comburatur, & in cineres reducatur albos, adactis ignis gradibus, in fine distillationis. In hac distillatione oleum habes nigrum, & aquâ fetidam quæ nullius est virtutis, vnde proijcienda: oleum verò quod summopere empyreuma redolet, rectificandû est, & ab empyreumate vindicandum, distillando ter aut quater in retorta cum pauco vitriolo ad rubedinem calcinato. Oleum deinde postquam priuatû est empyreumate, connectendû est magmati suo purificato superiori: his addendû est sal fixû, quod extrahetur ex cineribus per artè multoties detectam. Sic deinde habebis catharticum medicamentum regibus & principibus solum reseruandum, propter benignitatem, & agendi mirabilem vim in omnes morbos.

Vires & Vfus.

- 1 In omnibus morbis curandis, tutiffimè exhiberi potest, & purgat tantùm per inferiora, nec villo pacto, vt scammonium impræparatum ventriculum mordet & laceffit, nec intestina, nec flatibus & torminibus ea profequitur, fed blandiffimè humores omnes in corpore putrescentes, & in viscerum cauis speluncis stagnantes educit: signum euidentiffimum quod in præparatione chymica vis eius infestans mitigatur, & ad benignam reducitur agendi facultatem.
- 2 Tumoribus omnibus frigidis scirrhosis & duris exterius applicatum maximè prodest, pedetentim enim eos dissoluit, & discutit, vnde mirabili quadam facultate, propter suum salis spiritum cæcos occultos, nulla cutis apertione facta, successu temporis curat, & disperdit, vngendo partem eo arcano calidè, ter aut quater in die, & singulis hebdomadis fumendo scrupulum vnum illius arcani cum syrupo aliquo, aut iusculo, seruato regimine & custodia.
- 3 Leporam inueteratam, & confirmatam tutiffimè curat, bis in mense vtendo hoc arcano, & bis in hebdomada arcano sanguinis in primo libro enarrato.

Sumitur ad quantitatem scrupuli vnus ad duorum cum iusculis, vel syrupis, vel aquis stillatiuis, & præsertim acetosæ, endiuix, & portulacæ idque manè, ieiuno stomacho, seruato regimine & custodia.

*Vires &
vfus essen-
tia scam-
monij.*

De quinta essentia Myrobalanorum
omnium.

C A P. XXVI.

Myrobala-
norum es-
sentia.

MYROBALANA omnia eodem modo & pari ac simili arte in essentiam reduci possunt, quocirca proposita vna methodo, cæteræ omnes nulla difficultate ab omnibus Chymicæ artis tyrunculis capiètur. Itaque sumètur Indica Myrobalana, aliàs nigra dicta, & in frustula concisa indentur alembico ad descensum proprio, & violentissimo igne vsque ad combustionem & incinerationem persequeris distillationem: separabis distillatum oleum ab aqua per infundibulum: aquam proijcies tanquam nullius valoris, oleum rectificabis cum vitriolo calcinato ad rubedinem in retorta, donec empyreuma deposuerit. Hoc oleum sic rectificatum seruabis, donec alia habueris, quæ supersunt in substantia adhuc Myrobalani, quæ simul & semel extrahi non possunt, vt sunt sal, fixum, & tinctura eorum, quæ spiritum volatilem, & salem volatilem repræsentant, & aliqua rudimenta adhuc harum substantiarum secum continent. Ex cineribus ergo Myrobalanorum combustorum extrahetur sal fixum eorum, & postquam mundatum fuerit ab omnibus terrenis excrementis arte & methodo Chymica, connectes cum oleo suo. Tum demum accipies iterum noua Myrobalana, & in puluerem tenuissimum

num reduces & phialæ indes, his addes infundendo aquam seruatam ex extracto Senæ, & Rheubarbari, & Agarici, ad eminentiam sex digitorum: phiala optimè clausa, id omne digeres in igne digestionis tepido, & lento, per mensem integrum: peracto mense infusum per inclinationem, à magmate separabis, & filtro committes, vt perquam optimè depuretur: deinde distillabis lenissimo igne, donec infusa aqua ferè tota ascenderit, & relinquat magma in fundo alembici in consistentia mellis, cui reddes frigefactis vasis (si vitrea sint) aquam distillatam, donec magma dissoluatur: dissolutum digeres per octo dies, in igne tepido, & lento vt hypostasim seponat, quam per inclinationem lentam separabis, & filtro omne committes ad depurandum: deinde distillabis vt prius, ad consistentiam magmatis, ad spissitudinem mellis: aquam distillatam iterum reddes magmati vt iterum dissoluatur, & digeres, per quatuor dies, donec hypostasim omnem deposuerit, & filtro committes & demum distillabis, ad consistentiam iterum magmatis ad spissitudinem, mellis similem, & eandem operationem iterando, ter saltem aut quater, donec magma perclarum euadat: tunc demum quiescendum est à purificatione magmatis, cui tunc temporis perclaro, & nitido connectendum est oleum, & fixum sal superius reseruata, cum aliquibus guttulis olei cinnamomi, & gariophyllorum ad odoris & saporis conciliationem, & sic custodiendum est medicamentum mirandum in phialis vitreis, aut aureis, ad vsus.

Vires & Vfus.

*Vires &
vfus essen-
tia Myro-
balanorum.*

- 1 Arcanum summum est ad senectutem remo-
randam, modò sit eius, frequens vñs : totius
corporis colorem facit elegantiozem, cor-
porisq; odorem iucundum conciliat, hila-
ritatemq; affert : ventriculum, cor, & je-
cur roborat, quòd vitæ fomitem & humi-
dum radicale, sale suo fixo roboret & re-
ftauret.
- 2 Confert hæmorrhoidibus, & bilis feruorem re-
primit, ad oculorum collyria mirè effcax,
ad vñs claritatem & acumen efficiendum,
quòd roboret & augeat vitales & animales
fpiritus calore suo balsamico.
- 3 Oculorum inflammationes, lacrymas, defluxio-
nesq; reprimat, sistit, & cohibet, quod bilis
acrimoniam, oculorum tunicas pungentem
& vellicantem demulceat.
- 4 Vlcera quæcumque, tum recentia, tum vetera,
breuiffimo conglutinat tempore, quòd sum-
mè abftergat, & humores defluentes cor-
rumpi non finat suo sale, & suo oleo agglu-
tinet tanquam balsamo.
- 5 Intellectum & omnes fensus internos mirificè
clarificat, & perficit, ad auctis animalibus spi-
ritibus, qui funt interiorum fentuum in-
ftrumenta præcipua.
- 6 Datur vtiliter & aqua intercute laborantibus,
& febribus diuturnis quod falem, folutum
in corpore & corruptum foras trahat, alium-
que corrumpi non permittat, beneficio

lui falis & olei.

- 7 Trahit vtramque bilem, præsertim exustam, confert membrorum tremoribus. luvat & elephantiacos, mærores aufert, & quartanam eius frequens vsus tandem fugat, quod substantiâ radicalis eius arcani, contrarietur omnino causis horum affectuû, & foras pellat horû causas internas efficiêtes & materiales.
- 8 Vomitiones cohibet, & cibi appetentiam inuitat, quod ventriculum roborat & expurget ab omnibus serosis, & pituiticis humoribus.

Sumitur in iusculis & syrupis morbo appropriatis & conuenientibus ad quantitatem drachmæ vnius in infantibus, in hominibus verò, & qui virili vigent ætate, à quantitate vnciæ semis, ad vnam integram, idque manè, ieiuno stomacho, seruato regimine, & omni custodia artis. Vel potest misceri cum arcano scammonij, vt minor sit dosis & gratior, ad quantitatem drachmæ vnius, cum scrupulo vnico, aut semisse, arcani scammonij, & sic erit gratissima potio & potens, nec tamen molestans.

De quinta essentia Guttae gambæ.

C A P. XXVII.

GUTTA gambæ, succus est qui asportatur ex India Occidentali, ex partibus Chinæ, in nostras regiones, nouum & recens iam nostris

Gutta gambæ quid, & cur sic dicta.

temporibus, & in nostris regionibus medicamentum, inauditum nobis, & incognitum; attamen doctissimis Medicis approbatum, & in vsus Medicos iam redactum, ad curationem morborum multorum, & præcipuè quartanæ febris, doloris arthritici, & aquæ intercutis: euacuat pituitosos & serosos humores potentissimè, seorsum & deorsum exsiccat ventriculum, & oesophagum summo opere. Plantam è qua educitur nullo pacto vidi, nec siccam, nec recentem, nec inueni authorem qui de ea planta vllibi scripserit, sed ipse ex mercatoribus qui eum succum in Galliam, & Europam asportant ex China, percunctatus sum ea ipsa, quæ scribo. Paratur is succus ad modum & instar mechoacami, & scamonij, inciso, & excauato plantæ caule, & ex spelunculis recens succus formatur et concinnatur in magdaleas, quæ exsiccatae dant grana quatuor, aut sex, dosin purgantem constituentia: attamen si succus ille reducatur in essentiam, in maiori multò potest propinari dosi, absque vlla molestia, et exsiccatione oesophagi, et ventriculi. Itaque vt in essentiam reducatur, hanc obserua methodum. Sumatur Gutta gamba, libra vnica aut altera, & contusa immittatur in alembicum ad descensum aptum, & distilletur fortissimo igne, ad auctis pederentim ignis gradibus, vsque ad combustionem & incinerationem rei quæ distillatur: post distillationem separabis oleum ab aqua, quod erit in maxima copia, quod succus ille gummosus sit valdè, & pinguedine plenus: oleum rectificabis in retorta, cum paucis vitriolo calcinato ad rubedinem, donec empyreuma deponat: hoc oleum seruabis, & coniun-

*Essentia
Gutta gam-
ba.*

ges cum sale fixo, eiusdem Guttæ gambæ, ex cineribus in distillatione olei factis extracto, & depurato, per solutiones & calcinationes multoties iteratas: sale & oleo conseruato, nouum succum eiusdem plantæ habebis ad quantitatem vnciarum sex aut septem, & dissolues in phiala vitrea oblongi colli, cum spiritu vini alcoholizato, & spiritu vitrioli æquali quãtitate solutum succum digeres per quindecim dies in tepido balneo, deinde distillabis in eodem balneo, quicquid distillari poterit. Tum demũ iterum reaffundes spiritum vini distillatum super magma relictum, & digeres vt optimè dissoluatur, per tres, aut quatuor dies, deinde filtro omnia committes, ad depurandum summopere, & distillabis infiltratum in eodem balneo, quicquid distillari poterit vt prius: tum demũ iterum dissolues & digeres, & filtrabis, & distillabis toties, quoties magma relictum in fundo alembici feces emittet: tunc quiesces, & magma solum vindicatum ab omni vini spiritu dissolues cum succo limonum, & spiritu vitrioli distillatis, & postquam in digestionem per octo aut quindecim dies digestionem leuem passum fuerit, separabis ab eo succum limonum distillatum, & spiritum vitrioli per balneum feruente aqua distillandum, aut per cineres tepidos, donec magma relinquatur in consistentia mellis. Hoc magma quod est extractum coniunges cum oleo & sale fixo, superiori, & ex his vnum parabis per digestionem duorum aut trium dierum medicamentum, quod in vasis vitreis seruabis ad vsus varios, sanitati vtiles.

Vires & vsus.

*Vires &
vsus gen-
tia Gutta
gamba.*

- 1 Quartanam tutissimè curat eius frequens vsus, quod eius spiritus subtilissimus & potentissimus, quemcumque soluat & disperdat tartarum.
- 2 Aquam intercutem certissimè exsiccat, quod eius spiritus salis, potentissimè serosos exhauriat humores, & corrumpi non permittat, & iecur roboret, ita vt non serosum producat & efficiat sanguinem, sed laudatum & ab omni hæmatoseos vitio vindicatum.
- 3 Leucophegmaticam etiam ex eadem ratione curat, & pallidos virginum colores, quia roborat ventriculum, & expurgat ab omnibus serosis humoribus, & aperit omnia obstructa difflatis vndiquaque per cutis spiracula spiritibus, & euacuatis inde tertix coctionis excrementis.
- 4 Arthritidis summum & vnicum est arcanum ad euacuandum eius causas internas, & refocillandas partes, tum neruofas & musculosas; quia eius salis spiritus id omne commodè & certissimè peragit, adauctis vitalibus & animalibus spiritibus, & refocillato humido radicali partium omnium.
- 5 Membrorum tremoribus subuenit, & paralyfi, torpori, & caro, & omnibus cerebri morbis, ex pituita, & serosis humoribus prouenientibus propter eandem rationem.
- 6 Pectus & pulmones eadem etiam ratione à crassis, & pituitosis humoribus vindicat,

& suspiriosis, & difficillimè respirantibus subuenit.

- 7 Cutanea omnia vitia exteriùs applicatum, & interiùs sumptum certissimè curat, quod sanguinem mundet, & exsiccet humores in vlcera defluentes, & corrumpi non sinat, & agglutinet quod solutum est, per humorum acrimoniam suo balsamico oleo.

Sumitur in minima quantitate, scilicet ad quantitatem granorum sex, aut septem in iusculis, aut syrupis aut aquis, aut vino, aut ex eo cum mica panis parantur pillulæ deauratæ minimæ, & deglutitur vna post primum somnum, seruato regimine & custodia artis.

De quinta essentia Mechoacam.

CAP. XXVIII.

MECHOACAM cum radix sit mucosa valde, & glutinosa, cauendum est in extractione eius essentiæ, ne infundatur in aquam, quia fere tota dissoluitur, & sic purificari non potest, quia numquam clarificatur, nec ad hypostasim peruenit. At pulueratum Mechoacam infundendum est cum spiritu vini alchoolizato, & digerendum per quindecim dies, aut mensem integrum, in balneo tepido, donec hypostasim dimittat, tunc temporis per inclinationem clarum separandum est à turbulento. Turbulentum verò filtro denso, & spisso committendum est, vt quicquid est hu-

*Essentia
Mechoacæ.*

miditatis per ipsum transmittatur, & clarificetur. Magmati verò superstiti infundendus est iterum nouus spiritus vini alchoolizatus, & digerendus per octo dies, in balneo tepido vt prius, & post digestionem, & filtrationem humiditatis infusæ, nouus iterum infundendus est spiritus, & digerendus per quatuor dies. His peractis filtrandus est ille spiritus infusus, & prioribus coniungendus, & simul distillandus leuissimo igne, donec magma sit ad consistentiam mellis, & hæc operatio repetenda est, donec magma, quod relinquitur in fine distillationis in fundo alembici, nullas emittat feces in solutione, sed soluatur absque vllis fecibus. Hoc magma sic purificatum seruandum est, & connectendum cum oleo ex Mechoacam recenti per descensum extracto, & rectificato, & ab empyreumate vindicato, beneficio vitrioli ad rubedinem calcinati, vt dictum est superius. Et cum oleo, & magmate connectendum etiam est sal fixum, quod extrahetur ex magmate combusto, ex quo oleum elicuisti: sed purum, & nitidum, & ab omni excremento terrestri vindicatum, & sic essentia erit absoluta, & seruanda erit in phialis vitreis optimè clausis.

Vires & vsus.

*Vires essentia
Mechoacam.*

Arcanum est mirum in omni Mania, phrenitide & melancholia curanda; humores enim melancholicos, & adustos, meninges infestantes foras deijcit, temperat, & in alienam mutat substantiam, & si post purgationem hæc dentur guttulæ nonnullæ olei argenti fiet absoluta, & tutissima curatio.

Paralyfim mēbrorum tremorem & torporem, ifchiaticum dolorem, & arthritidem omnem tutiffimè fugat, quia fummopere pituitam, & feros humores omnes euacuat.

Febrem quartanam & quotidianam, & diuturnos omnes affectus, & chronicos frequēter vtendo tandem curat, euacuatis horum affectuum caufis.

Sumitur ad quantitatem fcrupuli vnus, ad duos, in iufculis, vel aquis stillatitijs, vel fyrupis, vel ouis forbilibus, idque manè ieiuno ftomacho feruato regimine, & custodia artis.

De quinta effentia Ialap.

CAP. XXIX.

IALAP eft radix plantæ quæ in partibus Orientis Indiæ crefcit, & eft nouum iam nobis medicamentum, prifeis medicis incognitum & inauditum; jam verò in noftras regiones Europæas afportatum ope & induftria mercatorum, qui has inuifit regiones & terras. Infipidi eft faporis, quapropter facillimæ potionis, fi infundatur in vinum album. Sic enim retiocarunt in vfus medicos moderni medici, ad curandam, aut faltem fubleuandam arthritidem omnem, aliâque mala, quæ ex pituita, & feroſis humoribus ortum habent, purgat enim potentiffimè hoc medicamentum feros humores omnes, & exſiccat. In effentiam autem reducetur pari aut fimili methodo ac redu-

Effentia Ialap.

Vires & vfus effentia Ialap & doſis.

Etum est Mechoacam, & similes habet vires, & ad eodẽdem curandos affectus potest adhiberi, majori tamen dosi; quia non ita potenter purgat, ac Mechoacam, sed multò benignius, ita vt sumatur absque vlla noxa ad quantitatem drachmæ vnius, vel duarum in iusculis tenuibus, vel aquis stillatijs, idque manè ieiuno stomacho seruato regimine, & custodia.

De quinta essentia Aloës.

C A P. XXX.

*Aloës essen-
tia.*

SVMITVR Aloës optima, friabilis, multis Gummis adulterata colorem hepatis habens, vnde hepatica dicta, ad quantitatem librarum duarum, & minutim contusa immittitur in alembicum ad descensum proprium, & in furno distillatorio collocatum, cogitur ad distillandum igne supposito, adactis ignis gradibus, donec cesset distillatio, & Aloës alembico imposita reducatur in cineres albos. Frigefacto vase separabis oleum ab aqua, quæ confusa sunt in recipiente, per infundibulum. Aquam proijcies tanquam nullius virtutis & valoris, nisi ad vlcera lauanda, & vulnera, ad hoc enim plurimum valet: oleum vero fœtens valdè, & empyreuma redolens rectificabis per retortam cum vitriolo ad rubedinem calcinato, ter aut quater, donec empyreuma deponat. Ex cineribus verò sal fixum extrahendum calcinationibus, solutionibus, filtrationibus, &

evaporationibus multis iteratis, donec candorem acquirat summum, & in solutione emittat feces nullas, tunc coniungas ambo simul. Aloëm deinde nouam & recentem sumere oportet ad quantitatem libræ vnus, & dissoluere in spiritu vini optimo & alcoholizato, & per quindecim dies digere in balneo tepido, phiala optimè clausa. Deinde filtro committere omnia, vt depurentur, depurata distillentur lenissimo igne, donec magma habeat consistentiam mellis. Huic iterum reafundendum est, id omne quod ascenderit per distillationem, vt dissoluatur, & digeratur per quatuor dies. Deinde filtretur, & distilletur ad consistentiam magmatis, ad spissitudinem mellis, tum demum soluat iterum magma. Et iteretur operatio superior quater aut quinquies, donec magma clarum sit & pellucidum, & multas emittat in solutione feces; tum demum quiescendum, & magma istud sic depuratum coniungendum est cum oleo superiori, & sale fixo, & omnia digere per aliquot dies, in cineribus tepidis, & seruare in phialis optimè clausis tanquam arcanum summum ad varios vsus.

Vires & vsus.

- 1 Arcanum est summum in curandis vulneribus, & vlceribus quibuscumque propter vim balsamicam quæ in eius sale & sulphure continetur. *Vires essentia Aloës.*
- 2 In enecandis infantium vermibus, & tineis mirè efficax, quod eius sal omnibus similibus animalculis veneno sit, & corruptelam

- impediat, in his partibus pituita perpetua madentibus.
- 3 Deijcit bilem, & pituitam ipsam, caputque & ventriculum mundat, quorum etiam cruciatibus maximè succurrit, quia causas doloris aufert, per purgationem.
- 4 Frequens eius vsus à pestiferibus tuetur morbis, & ab omnibus diuturnis & chronicis, quod impediat humores ingentem, & insignem subire corruptionem.
- 5 Cum oleo & essentia Myrrhæ, & spiritu vini, permixtum mirum est balsamum ad corpora defuncta à corruptione vindicanda, & ita in longos multosque annos sincera omnino præseruentur.
- 6 Sensus omnes intellectumque acuit, iecur ab infarctu purgat, & regio morbo medetur, quia frigidos humores fugat, & multiplicat spiritus animales, referat & aperit summo-pere, hinc hæmorrhoidibus nocet.
- Sumitur à quantitate drachmarum duarum ad trium, in iusculis manè, ieiuno stomacho, seruato regimine, & custodia.

De quinta essentia Melissophylli.

CAP. XXXI.

Melissa essentia.

POST QUAM dixerimus satis copiosè de essentijis purgantibus, iam ratio postulat de confortatiuis, & roborantibus essentijis dicere, vt opus

absolutum, & completum chymicis omnibus præbeamus. Itaque de melissophyllo imprimis tractabimus, cuius essentia mirè efficax, & roborans sequenti methodo commodissimè extrahetur. Vernante tempore colligendum est melissophyllum, & contundendum, vt maxima copia succi extrahatur, & pauco spiritu vini addito reponatur in phialis vitreis in loco frigido, ad deferuendum, per mensem saltem vnum, postquam deferuerit distillandus erit ille succus lenissimo igne: sic enim spiritum æthereū extrahes fragrantissimū qui rectificatus, & à phlegmate vindicatus per aliquas distillationes iteratas, erit custodiendus, in phiala optimè clausa. Magmati verò residuo ex hac distillatione affundes spiritū vini alchoolizatum, & ab omni phlegmate vindicatū ad eminentiam quatuor digitorum: spiritus æthereus melissophylli aptior & melior quidem esset spiritu vini, ad hanc operationem faciendam, sed quia paucus est, & preciosus, consulo tibi, vt loco illius, vtaris spiritu vini alchoolizato: postquam affusus fuerit spiritus vini magmati, in phiala optimè clausa, illum collocabis in digestionem & digeres per quatuor aut quinque dies. His peractis, distillabis spiritum affusum, donec striæ cessent. Deinde si quid phlegmatis ascendat proijcies; caue tamen ne ad eam succitatem deueniat magma, vt comburatur, & empyreuma redoleat, quia totum disperderetur. Reaffunde deinde spiritum distillatum, & digere per duos dies in cineribus tepidis, deinde distilla lenissimo igne, reaffunde iterum spiritum, separando in vnaquaque distillatione aliquid phlegmatis quantum fieri potest,

& digere per duos dies, & distillando hanc operationem iterabis donec ascendat spiritus vini, cum sale volatili melissophylli, quod ter aut quater rectificabis cum spiritu vini distillando, & coniunges spiritui suo æthereo superius reservato. Tum demum habebis magnam copiam melissophylli exsiccati in umbra vel Sole, & corticis citri magnam etiam copiam, simili modo exsiccatam, & impones vasi terreo aut cupreo ad descensum proprio, & distillabis violentissimo igne, donec comburatur melissophyllum, & cortex citri, & in cineres reducantur albissimos, oleum deinde quod distillatum erit per hanc distillationem separabis per infundibulum ab aqua fœtida, & empyreuma redolente, & rectificabis in retorta cum vitriolo ad rubedinem calcinato ter aut quater, mutato in singulis rectificationibus vitriolo, donec empyreuma deposuerit oleum. Oleum sic rectificatum effundes super corticem recentem citri ut fragrantissimum acquirat odorem, per quindecim aut decem dies. Deinde separabis oleum à cortice per expressionem, & distillabis iterum, & sic preparatum spiritui æthereo melissophylli, & sali volatili connects. Sal verò fixum ex cineribus melissophylli, extrahes per solutiones, calcinationes, filtrationes, & euaporationes multoties iteratas, donec candorem, & puritatem summam acquiserit: tum demum coniunges etiam hunc salem sic depuratum, alijs prædictis ex melissophyllo extractis, & servabis ut mirum arcanum, cui si aliquid olei cinnamomi & ga-

riophyllorum coniunges, maiorem acquireret in actione potentiam.

Vires & Vfus.

- 1 Omnes sensus internos summopere acuit, & præcipuè memoriam quam felicissimam reddit, quia cerebrum ab humiditatibus expurgat, & roborat summopere spiritus animales, & multiplicat.
- 2 Animum hilarem reddit, tristitiámque fugat, & humenti ac frigido ventriculo auxiliatur, & eius concoctionem adiuuat, quod calorem naturalem mirificè foueat, & nutriat.
- 3 Deficientem animũ reuocat, cordis imbecillitatem roborat, eámque præferim, qua somnus frequentius nocte intercipi solet, quod sit caloris naturalis, & vitalis fomes, & spiritus multiplicet.
- 4 Animi sollicitudines fugat, ac sollicitas imaginationes tollit, quæ tum ab atra bile, tum ab exusta pituita gignuntur; quia aucto, & multiplicato calore naturali hæc omnia euanescent, vt apparet in adolescentibus qui propter copiam caloris eiusmodi, parum habent sollicitudinis, & in ebrijs, qui propter eandem rationem absque sollicitudine sunt, cum vinum multiplicet calorem.
- 5 Pestiferæ auræ vitia corrigit, si inspergatur per domos peste infectas, quia odore gratissimo suo cerebrum mitificè, & cor roborat, ita vt facillimo negotio resistat

Vires & Vfus essentia Melissa.

vaporibus & exhalationibus pestiferis, unde succurrit sum mopere peste affectis.

Sumitur ieiuno stomacho manè, à quantitaturn ʒ j. ad ʒ ij. in aqua cinnamomi vel anisi, vel in spiritu vini, vel aqua stillatitia melissophylli, vel in succo citri & limonum, vel cum aqua theriacali, in peste fuganda.

De quinta essentia Menthae.

C A P. XXXII.

*Mentha
ent ia.*

COLLIGETUR Mentha mense Iulij, & ex ea per expressioné extrahetur succus in maxima copia, qui recondetur in vasis vinarijs, & reponetur in cella vinaria in loco frigidus, ad deferuendum: postquam deferuerit distillabitur succus lenissimo igne cinerum, donec striæ cessent, hoc enim est signum quo dignosci potest, spiritú ascensum fuisse omnem, qui quater aut quinques rectificatus, vt vindicetur à phlegmate aquoso custodiendus erit, donec coniungatur cum reliquis quæ extrahi debent ex mentha, imprimis sal volatile quod est in maxima copia magmati ex præcedenti distillatione residuo: huic ergo magmati affundes spiritum tuum iam phlegmate vindicatum si copiosum habes, aut vini spiritum loco illius, ad eminentiam quatuor aut quinque digitorum, & digeres per quatuor aut quinque dies, in cineribus tepidis, aut balneo tepido: deinde distillabis donec striæ cessent: separato
- phlegmate

phlegmate quod deinde ascendit, ascensū spiritum iterum affundes magmati residuo, & liumenti, & digeres per duos aut tres dies in balneo tepido: deinde distillabis & hanc distillationē & digestionem multoties iterabis, separato phlegmate in singulis distillationibus, donec sal volatile ascendat, quod ter aut quater rectificatum cum spiritu suo connectendum est, & seruandum, donec sal fixum, & oleum habueris ex mentha, Mentham ergo siccam, & aridam maxima in copia immittes in urnam fictilem terream aut cupream, eamque mentha replebis ad collum vsque, & comprimes vt maiorem copiam capiat urna, quantum fieri poterit: tum demum linteo madido collum urnæ cooperies, aliamque urnam vacuum omnino mentha, sed solum aqua fontana per limpida semiplenam submittes, & coniunges alteram alteri, ita vt os urnæ plenæ mentha, subintret os alterius urnæ, aqua fontana semiplenæ, & sic vnica urnas, iuncturis peroptimè lutatis, in terram sepelies facta fossicula, donec urna semiplena tota sepeliatur, & plena mentha vsque ad medietatem etiam sepeliatur, terra aut arena madida vndiquaque supposita. Deinde coronam lapidum facies instar putei osculi circa urnam mentha plenam donec altitudine æquet urnam in medio coronæ stantem: hanc coronam replebis carbonibus ardentibus, lignisque impositis ignem per quatuor aut sex horas continuabis. Peractis horis, ignem augebis, & totam urnam carbonibus ardentissimis cooperies, & hunc ignem violentissimum per duas aut tres horas continuabis.

Tunc frigefactis vasis, & seiunctis, & separatis, separabis oleum ab aqua per infundibulum quod reperies in vrna aqua semiplena, quæ submissa fuerat alteri mentha plenæ. Oleum hoc rectificabis in retorta cum pauco vitriolo ad rubedinem calcinato, idque ter aut quater mutato singulis vicibus vitriolo ad rubedinem calcinato. Huic oleo rectificato, & ab empyreumate vindicato immittes folia nonnulla menthæ recentis, & insolabis per aliquot dies, vase optimè obturato. Deinde his expressis folijs, & oleo omni perquam optimè emunctis, noua folia recentia adhuc iterum immittes in oleum, & insolabis, & iterabis immisionem, donec oleum fragrantissimum menthæ odorem acquisierit, quod terna, aut quaterna saltem infusione fiet. Huic oleo immittes spiritum, & sal volatile suum superius extractum. Ex cineribus verò qui reperiantur in vrna mentha plena, ex qua oleum per descensum elicatum est, extrahes sal fixum menthæ, secundum artem & methodum superius declaratam: & postquam depuratum fuerit, & ab omni terrestri recremèto vindicatum connectendum erit alijs superius extractis, & omnia simul vnienda in balneo tepido digerendo per duos aut tres dies, deinde seruandum est arcanum in phialis optimè clausis.

Vires & Vsus.

*Vires essentia
Mentha.*

- i Mirum est, & stupendum, quod obseruatur in his omnibus arcanis plantarum in quibus adsunt, & sal fixum, & sal volatile, oleum & spiritus plantæ; si enim aliqua guttulam

terram immittatur, tempore conuenienti, & in terra huic plantæ ferendæ idonea, nascetur in tempore debito eadem planta, à qua arcanum extractum est, ita vt hoc arcanum verè dici possit, semen plantæ æternum & incorruptibile, & sit resurrectionis nostræ symbolum rude, & aliqua effigies.

2 Singultus, vomitiones, choleraeque sedat, quod summopere ventriculum roborat, & ab omnibus vindicet excrementis quæ ipsum interturbare possunt.

3 Lumbricos omnes, & ventris tineas teretes enecat, sola externa ventris inferioris per-
 unctione, suo sale tum. fixo, & volatili, tum spiritu suo, quæ omnia corruptionem impediunt omnem, & sic animalcula illa interimunt.

4 Capitis dolores omnes qui per sympathiam ventriculi malè affecti, oriuntur mulcet, & curat, quia ventriculum vt diximus ab omni liberat malo.

5 Rabidorum canum moribus tutissimè succurrit, si recens vulnus eo arcano lauetur, & imposito gossipio eo arcano madido, per aliquod tempus madefiat, quod sal menthatum fixum, tum volatile, venenū omne enecat, & aliā in mutat substantiam, vnde pestiferis omnibus etiam morbis succurrit, & intoxicatis omnibus medela summa est, sed prius ad vomitum compellendi sunt ægri, tum demum nostro arcano vtendum.

6 Tumores omnes duros & scirrholos discutit & dissoluit, & phlegmonas ad suppurationem

perducit, & buboni pestilenti summa est medicina. tū quia veneno resistit, & materiā pestilentē coctū, & maturatu difficilē ad pepasimū perducit, idque suo sulphure balsamico.

Sumitur interiūs ad quantitatem scrupuli semis, in aquis cinnamomi, anisi, feniculi, menthæ, vel in spiritu vini, & exterius applicatur locis affectis tepidè, gossipio vel linteo madido eo arcano, superimposito.

De quinta essentia Thymi.

CAP. XXXIII.

Thymi essentia vires & usus.

COLLIGITUR Thymum dum floret Maij & Iunij mense, maxima in copia, & contusum maceratur in phialis cum spiritu vini alcoholizato per mensem vnum in balneo tepido: deinde distillatur spiritus, & separatur phlegma, quod ascendit, & reaffunditur spiritus ascensus, & digeritur iterum in balneo tepido, & redistillatur: & iteratur hæc operatio donec sal volatile ascendat quod rectificabis ter aut quater cum poco spiritu vini, vt vindicetur ab omni terrestri excremento. Spiritus hic rectificatus, & purus seruandus, & custodiendus erit, donec oleum habeas ex thymo. quod sequenti elicies methodo. Collectum Thymum in maxima satis quantitate, siccum, & aridum vrnæ immittes, eamque replebis thymo, & per descensum, vt mentha in superiori capite distillabis, donec combustum, &

incineratum sit thymum : oleum reſtificabis, per retortam cum pauco vitriolo ad rubedinem calcinato, donec empyreuma depoſuerit : deinde oleum à fœtore empyreumatis vindicatum coniunges cum floribus thymi recentis, & inſolabis per aliquot dies. His peractis exprimes oleum à floribus quantum fieri poterit, & nouis & recentibus thymi floribus coniunges iterum oleum & inſolabis, & exprimes, ter aut quater iterando inſuſionem florum, donec fragrantiffimum acquirat odorem, & ſic oleum hoc coniunges cum ſpiritu ſeu ſale volatili. Ex cineribus verò thymi combuſti in extractione olei, ſalem fixum elicies methodo communi, & vulgari, antea multoties in ſuperioribus capitulis enarrata, & purum factum, & vindicatum ab omnibus excrementis connectes cum oleo & ſpirituſo ſale thymi, & ſeruabis ad uſus. Deeſt huic eſſentię ſpiritus liquidus thymi, quia extrahi non poteſt propter ſiccitatem thymi, ita enim aridum eſt, & fere ſiccum etſi viſceſcat, vt ſuccus ex planta virenti extrahi non poſſit : itaque contenti fuimus ſalem volatilem extrahere ex hac planta ad eſſentiam perficiendam.

Vires & Uſus.

- 1 Orthopnoïcis, & anhelatoribus maximè prodeſt, quòd roboret plumones, & pectus, & catarrhos ſiſtat, & inſarctos plumones pituita, & glutinoſis humoribus liberet, penetranti, & exſiccanti ſua facultate. 2 Iſchiadicis, & arthritide quacumque laborantibus in genere ſuccurrit, & quidē maximè, dolores enim eorum

mulcet & lenit, sola externa perunctione spiritus salis, tum fixi, tum volatilis quem in se coërcet.

3 Imbecillitatem visus tollit, roboratis, & auctis, & multiplicatis in maxima copia spiritibus animalibus, & fugatis atris & nebulosis vaporibus, qui nervos opticos ocludunt, aut viam spirituum saltem obnubilant.

4 Concoctionem omnium viscerum iuuat, quia multiplicat calorem naturalem suo sale & oleo, quæ maximum & copiosum in se coërcet vitalem calorem.

5 Sensus omnes, tum internos, tum externos accuit, propter eandem rationem, & expedit membrorum omnium motus, & faciliat, cum det viam & ingressum vndiquaque spiritibus per vniuersa membra.

6 Curat omnes affectus ex causa frigida ortos, quia excalfacit vehementer, & multiplicat spiritus omnes, tum vitales & animales.

De quinta essentia Gattaria, seu Nepeta.

C A P. XXXIV.

*Gattaria essentia, vires
& usus.*

GATTARIA, quam & alij dicunt Nepetam, colligenda est tempore verno, & contundenda est, & exprimendus eius succus torculari & prælo, & reponendus in cella vinaria per mensem, in vasis vitreis vt deferueat: postquam deferuerit, distillandus erit succus lentissimo igne,

ad separandum spiritum æthereum qui primo ascendet, & strias faciet quandiu distillabit: cessantibus strijs cessabit & ascendere spiritus: tunc temporis mutandum est vas recipiens, & reiiciendum phlegma, quod postea ascendit, nisi pro aqua eius stillatitia reseruare cupias, quæ pluris est efficacix & virtutis, quàm aliarum aquarum quæ cõmuni methodo cum alembicis plumbeis distillantur: phlegmate egresso & ascenso, magmati, quod residet in fundo alembici adhuc humenti, & non sicco & arido, reafundendus est spiritus æthereus, qui primo ascendit, & digerendus in balneo tepido, per aliquot dies, vnà cum magmate. His transactis diebus distillandus est spiritus æthereus lenissimo igne, & mutandum est vas recipiens postquam ascensus fuerit spiritus, & separandum erit phlegma ab spiritu. Spiritus verò, iterum affundendus erit magmati, & digerendus, & distillandus; has iterando operationes ter, aut quater, donec sal volatile ascendat, quod erit ter aut quater iterum rectificandum, vnà cum spiritu volatili æthereo, qui rectificationem antea non receperat. Deinde Gattaria sicca & arida sumenda erit, & ea implenda erit vrna, & distillanda erit per descensum, secundum artem antea declaratam, in capite trigesimo secundo, de essentia Menthæ; & oleum rectificandum erit per retortam cum vitriolo, ad rubedinem calcinato, idque ter aut quater, mutando vitriolum, in singulis rectificationibus: oleum prædictum sic depuratum, & ab empyreumate vindicatum, connectendum est cum foliis recentis & virentis Gattariæ, & insolandum per aliquot dies, deinde exprimen-

dum oleum à foliis, & iterum cum aliis nouis & virentibus folijs connectendum & insolandum, idque tertio donec odorem plantæ habeat oleum, quod demum erit sali volatili, & spiritui suo connectendum. Ex cineribus verò plantæ extrahetur sal fixum, & multis iteratis solutionibus, filtrationibus, & euaporationibus perducetur ad candorem summum, & limpiditatem; tunc demum erit coniungendum, & copulandum cum reliquis aliis quæ extracta fuerunt ex planta, & simul omnia in digestionem tepida erunt vnienda, vt fiant vnum arcanum potentissimum, referuandum in phialis optimè clausis ad vsus varios.

Vires & Vfus.

1. Hoc arcanum mira quadam dulcedine odoris, trahit catos & feles, ita vt iuxta phialam eo arcano refertam delectentur; vnde autem hoc fit, longioris est sermonis, ad alium locum lectorem remittimus, vbi de sympathia, & antipathia rerum differimus, causasque narramus, & præsertim in Palladio Chymico nostro.
2. In fugandis pallidis ac sædis virginum coloribus nihil est præstantius, quòd coctionem viscerum omnium mirè roboret, & spiritus multiplicet, & sanguinem mundet, & aperiat obstructions omnes, qua data porta ruunt spiritus vndiquaque per totum corpus, & floridus apparet color.
3. Menses certissimè & tutissimè prouocat, pro-

pter eandem rationem, vndè & vteri affectibus ferè omnibus succurrit, & sterilitati medetur, fœcundasque reddit mulieres.

4 In sedandis ischiadicis doloribus nihil potentius, & præsertim si ex causa frigida ortum habeant, quia spiritu suo salis, tum fixi, tum volatilis, & oleo suo tanquam balsamo, fugat frigidos illos humores, & per insensibilem transpirationem foras educit, nervos roborat, musculos & tendones ad motum procliuiores reddit.

5 Elephanticorum remediũ est tutissimum, non eo tantũ quod strenuè tenues humores digerat, verum etiam quia extenuet & incidat valenter crassos, quales sunt, qui hunc morbum procreant: Addam & ego quod sanguinem repleat spiritibus tenuibus & subtilibus: hinc cicatricibus atris candorem reddit, & sugillata digerit omnia.

6 Venenatis bestiarum omnium morsibus, putà canis rabidi, serpentum, aliorumque animalium, quæ dentibus & spiculis venenum eiaculant, præsto succurrit per spiritum salis, & oleum suum, quæ venenum ipsum plagæ inditum interimunt, & in aliam mutant substantiam, plagamque coagulant & resarciunt spiritu vitali, quem secum continent turgentis copia.

Sumitur in iusculis vel aquis stillatitiis morbo appropriatis à quantitate scrupuli vnus, ad drachmam, vel applicatur exterius tepidè per se, cum gossipio vel linteo eo arcano madido.

*De quinta essentia Aristolochia rotunda,
& Consolida majoris.*

C A P. XXXV.

*Aristolochia
essentia, vires
& usus.*

COLLIGENDA est Aristolochia rotunda, & Consolida major, tēpore verno, & præcipuè earum plantarum radices in maxima & equali copia, & succus ex radicibus, & folijs, & caulibus, torculari & prælo exprimendus, & in vasis vitreis reponendus in cella vinaria, vt deferueat: postquam deferuerit, distillandus erit lenissimo igne, vt separet spiritum æthereum à phlegmate: spiritum separatum, & aliquo modo à phlegmate suo vindicatum, & mundatum, reaffundes magmati humeti, quod residet in fundo alembici, ex distillatione spiritus ætherei, & digeres, per quatuor aut quinque dies, in cineribus tepidis, in balneo tepenti. His peractis diebus, distillabis spiritum, separato phlegmate quantum fieri poterit: postquam ascensus fuerit spiritus, ex magmate quod residet in fundo alembici, huic deinde magmati adhuc humeti affundendus est iterum spiritus suus æthereus, & digerendus, & distillandus, hæcque operatio iteranda, donec sal volatile ascendat, quod erit rectificandum, vnà cum spiritu suo, ter aut quater distillando: ex radicibus verò siccis, & aridis, in frustula concisis elicies oleum per descensum, & rectificabis in retorta cum vitriolo ad rubedinem calcinato, ter, aut quater donec omne em-

pyreuma deposuerit: huic oleo puro, & ab empyreumate vindicato, coniunges flores verbasci, & hypericonis & insolabis per mensem; & expresso oleo à floribus, addes iterum nouos & recentes flores & insolabis, idque ter aut quater iterando, exprimendo, & affundendo, donec oleum rubicundissimum acquirat colorem: ex cineribus verò harum plantarum sal fixum elicies, & mundabis ab excrementis terreis, modo & arte antea prædicta, & candidum, & nitidum factum connectes cum reliquis aliis, quæ extracta fuerunt ex his plantis, & simul vnienda per digestionem in balneo tepido, vt fiant vnum: cui si addatur oleum ceræ, & thuris, & therebentinæ, absolutum erit vulnerum omnium balsamum, quod erit custodiendum in phialis optimè clausis.

Vires & Vfus.

1. Potentissimè curat quæcumque vulnera simplicia intrà viginti quatuor horarum spatium & citius, ità vt stupendum sit naturæ miraculum: composita verò & profunda vulnera, tam citò curat, vt potiùs miraculum videatur quàm cura, & medela; regenerat enim citissimè carnem, ossa confracta trahit, porosque citissimè gignit, ita vt spatium quadraginta dierum vincat: nervos læsos quacumque læsione restaurat, & pristinæ sanitati restituit.
2. Ab alto deuolutis & corpore fractis vtiliter datur, ac etiàm iis qui interna intestinàve vulnera acceperint, namque illa siue

sint, vel exterius, vel interius illata, mirificè sanat, propter ingentem vim balsamicam quæ in eius oleo, & sale continetur.

- 3 Sanguinis grumos in ventriculo, vel in alia quavis corporis parte concretos dissicit, ac dissolvit, spiritu suo salis, qui corruptum non patitur.
- 4 In phthisi curanda, & renum internis ulceribus maximè prodest, & cæteris omnibus medicamentis facillè antepositur, propter vim suam balsamicam, quæ in eius oleo coërcetur.

Sumitur à quantitate drachmæ vnius, ad duarum tempore necessitatis in aquis stillatiis vulneribus curandis appropriatis, & conuenientibus; vel miscetur vnguentis proprijs, & applicatur tepidè super recentia vulnera postquam vino, & oleo lota fuerint, deinde gossipio, vel linteo eo arcano madido, vulnera teguntur, & ligantur.

*De quinta essentia Papaueris, &
Hyoscyami.*

CAP. XXXVI.

*Essentia
Papaueris.*

PAPAUER satium colligendum est, & hyoscyamus, pari quantitate, & mole, & ex

his succus torculari, & prælo exprimendus est in maxima copia: huic permiscendus est vini spiritus ad sextam saltem partem, vt citius deferueat, quia frigidi, & aquosi valdè hi succi sunt & tarde deferuent, propter paucitatem spiritus ætherei qui permiscetur eorum phlegmati: postquam deferuerit succus in vasis vitreis, & in cella vinaria, reponendus est in alembico & distillandus lenissimo igne, ad separationem spiritus ætherei, qui rectificatus ter aut quater, vt mundetur à phlegmate, re-affundendus est spiritus iste magmati suo, & digerendus, per duos aut tres dies, in balneo tepido. Deinde distillandus, & iterum affundendus, & digerendus, idque ter aut quater repetendo, donec sal volatile ascendat ex magmate, quod sal erit etiam rectificandum ad eius depurationem: deinde custodiendum vnà cum suo spiritu: ex Papauere verò & Hyoscyamo sicco & arido per descensum elicies oleum, vt ex cæteris superioribus plantis elicuisti, & rectificabis eadem methodo: huicque oleo rectificato, & ab empyreumate suo vindicato, connectes flores recentes papaueris rubei vel albi, & insolabis per mensem vnum, & exprimes oleum ex floribus, & novos addes flores insolando vt prius, & exprimendo, idque quater aut quinquies, tunc seruabis, deinde Meconium, seu succum Papaueris in spiritu vini dissolues, & digeres per aliquot dies in balneo tepido, donec meconium hypostasim omnem deposuerit: deinde filtranda erit dissolutio

vt perquamoptimè mundetur à terrenis excrementis: tum demum distillanda, donec consistentiam mellis habuerit magma, quod residet in fundo alembici, cui iterum affundendus est vini spiritus distillatus, vt dissoluatur iterum meconij magma dissolutumque digeratur, digestum distilletur, idque quater aut quinquies repetendo, donec nullas emittat in solutione feces magma quod residet in fundo alembici, post distillationem, sed totum limpidè soluatur; quod tunc temporis erit permiscendum cum oleo & sale volatili, & spiritu æthereo superius extractis: hisque addendum erit sal fixum, quod extrahetur ex cineribus earum plantarum, & postquam depuratum fuerit arte & methodo prædicta, cæteris omnibus connectendum erit, & in balneo tepido omnia simul digerenda vt fiant vnum, cui addere poteris ad odoris gratiam, & saporis, olei cinnamomi vnciam semis, extracti moschi drachmam vnicam, & seruare ad vsus.

Vires & Vfus.

1. *Nepenthe verum, & laudandum potest dici hoc medicamentum verè laude dignum, mirum atque iterum mirum in curandis fere omnibus morbis arcanum, quod naturæ fere prostratæ, & perditæ, per amicam quietem vires pristinæ reddantur.*
2. *In omnibus doloribus acutissimis frigidis & calidis, vbi præ vehementia homines fere exanimantur, maximè in dolore colico, nephritico, pleuritico, & arthritico, nihil est*

Essentia Papaneris vires.

- in rerum natura præstantius, quod intemperiem omnem partium omnium temperet, & humores acres, & pungentes, in diuersam mutet substantiam extincto calore partium, per intemperiem præter naturam facto.
- 3 In sistendis omnibus defluxionibus omnium humorum, & catarrhorum tenuium nihil efficacius, quod per somnum quem potissimum conciliat, calor naturalis multiplicetur in centro, cuius gratia, omnes corporis partes refocillantur.
- 4 In omnibus profluuijs intestinorum siue ratione humorum peccantium, siue purgantium nihil commodius dari potest, præsertim si cum essentia mastice propinetur, quia acres humores intestina pungentes eo arcano, dulcescunt, & mitiores fiunt narcotico eius sulphure & sale.
- 5 In vigilijs, & inquietudinibus immodicis, in omni febrium ardentium genere, in phrenesi & mania, cæterisque melancholicis affectibus nihil potentius, propter somnum quem conciliat.
- 6 In hæmorrhagia narium, vbi omnia desperantur, vltimum est, & tutissimum refugium quod venas calore præter naturam, aut aliquo humore acri apertas, & reseratas claudat, & obturet, refrigerato calore, & temperato humore acri, & pungenti.
- 7 In sanguinis excretionem, & menstruorum nimia euacuatione cum croco martis, & tinctura coralli rubei vtilissimè exhibetur propter eandem rationem.

Sumitur à quantitate granorum quatuor ad sex, aluo priùs laxata, in iusculis vel cum spiritu vini, vel cum aqua cinnamomi, anisi, feniculi, gariophyllorum, vel in ouis forbilibus, & exterius applicatur partibus dolentibus cum lintheis eo arcano madidis. Nec est de eius dosi verendum, vt de alijs laudauis quæ passim in libris chymicorum reperiuntur, quia hîc partes spumosa, & crudi sulphuris narcotici papaueris, & hyosciami non reperiuntur in hac compositione, quia separantur, tum vnà cum phlegmate quod ascendit post ascensionem spiritus, tum vnà cum magmate quod proijcitur post sublimationem falsi volatilil, vel comburitur ad salem fixum habendum. Addam etiam quod sal volatile, & fixum, & spiritus æthereus corrigant, & temperent narcoticum sulphur, quod in eius oleo reperitur, & extracto: quæ duo ex industria addenda, ad narcoticam vim habendam, quia reliqua narcotica non sunt, sed potius cardiaca, cum vitæ fomitem & focum in se coërceant, & sint vitæ fontes, in papauere, & hyoscyamo. Sic nihil est in mundo, & in rerum natura vniuersa adeò venenatum, quin secum habeat, & coërceat, quæ veneno illo inimicantur, & succurrunt; nec in alijs, & diuersis mixtis quærenda sunt venenorum remedia, quàm in veneno ipso, cui potissimum Deus, & natura in centro ipsum suum remedium, & medicinam posuerunt. Vnde corrigentia quæ admiscuntur cæteris narcoticis compositionibus facillè non probo, cum ex centro ipsius veneni non sint. Papaueris, hyoscyami, mādragoræ, solani, & similia plantarum quæ narcotico mortifero sulphure pol-

repollēt, corrigētia non aliunde petēda sunt quàm ex centro ipsarum plantarum, & in harum spiritibus æthereis, sale fixo, & volatili, verum & tutissimum corrigens quærendum est.

De quinta essentia Anisi.

C A P. XXXVII.

VIRENTIS Anisi folia & semina contundenda sunt, & torculari, & prælo succus eius exprimendus, & reponendus in cella vinaria, in vasis vitreis, vt deferueat; citò autem deferuet, propter caliditatem suam, postquam deferuerit vt vinum, in alembico vitreo distillandus erit eius spiritus æthereus, leuissimo igne, qui primo ascendet, & strias in capitello alembici faciet, his cessantibus, murandum est vas recipiens, colligendaque est aqua quæ egreditur & proijcienda, vt nullius valoris, nisi ad depurandum sal fixum, quod ex cineribus plantæ combustæ extrahitur: distillabis autem donec magma siccarum incipiat: huic demum, frigefacto vase, ne rumpatur affundes spiritum tuum ascensum, & digeres per aliquot dies in balneo tepenti: dein de distillabis leuissimo igne, & distillatum spiritum reaffundes magneti, & digeres idque quater aut quinque, donec ascendat sal volatile quod vt in maxima habeas copia, reaffundendum est super semen Anisi recens mediocriter contusum, vna cum spiritu suo æthereo, & digeres iterum

Anisi essentia.

per aliquot dies in balneo tepenti, & distillabis, & iterum affundes, ter aut quater, vt totum sal volatile ascendat, vna cum spiritu æthereo, & illi permisceatur instar niuis, quod sal tandem successu temporis, vel leui digestionem in oleum flagrantissimum, & dulcissimum reducitur, hoc tamen omne vna cum spiritu suo æthereo, postquam aliquoties rectificata fuerunt, seruanda sunt, donec sal fixum & oleum extracta sint: ad hoc ergo: sumendum est semen Anisi, siccū & aridum, & distillandum est, per descensum magno igne, vt comburatur omne semen, & in cineres reducat, oleum hoc fœtens, & empyreuma redolēs, rectificandum est in retorta, ter aut quater, cum pauco vitriolo, vt fœtorem deponat, postquam deposuerit, & vindicatū fuerit ab empyreumate suo, permiscendum est, aquæ stillatitiæ Anisi recēti, quæ ex multis iteratis, distillationibus super recens semen Anisi, sit distillata, & sit albissima vt lac, huic ergo aquæ, tuum oleum permiscebis, & digeres in phiala optimè clausa, in balneo tepenti, per aliquot dies, donec oleum tuum, albedinem omnem secum traxerit, quia albedo illa est sal volatile Anisi, quod leui digestionem, in oleum conuertitur, & cum alio oleo iungitur, & odorem Anisi huic reddit, & communicat, ex cineribus autem, sal extrahes fixum, & postquam purgatum fuerit, & ab omni terrestri spurcitia emunctum connectes, cum reliquis aliis superius extractis, & in balneo tepenti digeres, vt fiant vnum seruandum in phialis perquam optimè clausis.

Vires & Vfus.

- 1 Ad oris fœtorem cōmodiffimè vſurpatur, quia flagrantiffimū est medicamentum, & ſuo calore exſiccatur, gingiuas putrentes, & dentes, & ſuo ſale putredinem impedit.
 - 2 Vrinam ſummoperè ciet, caliditate ſua, & flatus diſcutit, & ventriculum roborat, & coctionē omnium viſcerum, reſerat omnia obſtructa, vnde hepatis obſtructionibus, & lieni medetur, & regio morbo, & aquæ intercuti.
 - 3 Animalium venenis aduerſatur, propter ſalem, tum fixum, & volatilem, quem ſecum habet, qui in genere venenis omnibus aduerſatur, aduerſatur autem, quod venenum ſit mortis principium, & fons, ſal verò vitæ ſcaturigo.
 - 4 Alba fœminarum profluuia liſſit, interno ſuo vitali calore, qui cum partium omniū calorē refocillet, & ſpīritus omnes multiplicet, alba fœminarum profluuia, ex cruditate, & frigore orta, compeſcit, multiplicato hepatis calore, & venarum ſpiritibus adauctis.
 - 5 Lac ad mammæ elicit, & venerem ſtimulat, propter eandem rationem, & dolores capitis ex cauſa frigida ortos, & intemperie frigida, aliquarum inferarum partium, quæ ſuſum vapores emittunt.
- Sumitur ad quantitatem ſcrupuli vnius, in iuſculis, ouis ſorbilibus, aquis ſtillaritijs, morbo appropriatis & conuenientibus.
- Notādū eſt, quod ſi huic olco à ſale fixo ſeparato,

Vires & vſus Anifi eſſentia.

moschus, & zibera addantur subito dissoluntur, & gratissimum paratur oleum in perpetuum seruans odorem gratum, valdè penetrans, quo si intinguntur linteæ, vel chirothecæ, vel panni fragrantissimum dant odorem, & diutissimè eundem custodiunt.

De quinta essentia Cinnamomi.

C A P. XXXVIII.

*Cinnamomi
essentia, vi-
res & usus,
& methodus
facienda.*

EX Cinnamomo quia siccum & aridum asportatur in nostras Regiones, & quia eius folia, & flores habere non possumus, extrahi non possunt partes omnes essentielles, quæ veram & absolutam Cinnamomi constituunt essentiam, itaque eius oleo tantùm & sale fixo, contenti erimus vt arcanum eius absoluamus: ex Cinnamomo ergo leuiter contuso, per descensum oleum elicies magno igne, vt comburatur Cinnamomum, & reducat in cineres. Hoc oleum, tertio aut quater rectificatum per retortam, cum poco vitriolo ad rubedinem calcinato, affundes super nouum & recens Cinnamomum, leuiter contusum, & cum pauca aqua cinnamomi stillatitia, in retortam immittes, & distillabis per balneum feruentis, & bullientis aquæ, donec totum oleum egressum sit, quod odorem Cinnamomi sic recuperabit: huic oleo addes salem fixum quem extrahes ex cineribus Cinnamomi combusti; addes autem purum, & ab

omni terrestri spurcitia vindicatum, & seruabis ad vsus.

Vires & vsus.

- 1 Naturali balsamo correspondet in curandis recentibus vulneribus, & inueteratis vlceribus: vulnera propter eius oleum, vlcera propter eius sal.
 - 2 Prouocat menses, & partum tutissimè promouet, aperiendi sua facultate, & calefaciendi vi, & potentia.
 - 3 Tollit tussim frigidam, & capitis dolorem, quia vapores è ventriculo sursum elatos fugat, & caput calfacit, & roborat, ita vt catarrhi non detur locus, vnde tussis euanescit.
 - 4 Omnia membra confortat, & imprimis ventriculum, cor, & cerebrum, eorum calorem conseruando, & multiplicando.
 - 5 In deliquiis animi singulare est medicamentum; quia cor ita exhilarat, & roborat, vt omnia quæ illi nocere possunt ab eo abigat.
 - 6 Pallidos virginum colores abigit, quia vapores è menstruo sanguine ortos, & ex spermate corrupto, totam sanguinis massam labefactantes, fugat & annihilat, roborato utero, & spiritibus sanguinis multiplicatis.
 - 7 Ad pestilentis auræ fugam & præseruationem nihil est præstantius; quia omnia principalia membra ita roborat, vt resistere possint auræ venenatæ, & pestilenti.
- Sumitur ad quantitatem guttarum trium aut

quatuor, in aqua melissæ, vel aqua cinnamomi, & anisi, vel in iusculis, aut ouis sorbilibus, vel exterius applicatur, cum gossipio, vel linteis eo oleo madefactis.

De quinta essentia nucis Moschatæ.

C A P. XXXIX.

Nucis moschatae essentia.

SAL volatile, & oleum nucis Moschatæ (quam & alij myristicam dicunt) copiosa sunt, ita vt facili negotio extrahantur, hac methodo, postquam contusæ leuiter erunt nuce moschatæ, & vaporem feruentis aquæ perceperint, aliquâdiu, presso & torculari in sacculis, committendæ erunt, & succus earum exprimendus, qui & oleum earum censetur, vt multis terrenis excrementis implicatum, quocirca est iterum, & multoties rectificandum hac methodo, oleum istud, permiscendum est, cum optimo spirituvini alcoholifato, & ambo simul digerenda in balneo tepido, per quindecim dies, obturato vase: his peractis diebus distillanda erunt, omnia per balneum feruentis aquæ quicquid distillari poterit, in hac distillatione duo simul ascendunt, spiritus, scilicet vini infusus, & spiritus nucis moschatæ ad modum spiritus therebentinæ clarissimus, & limpidus gratissimi odoris, qui sæpissime supernatat aquæ ardenti, & dignoscitur tantum spissitudine, & crassiori albedine, nec inuicem permiscentur, etsi agitentur simul. Magma, verò & oleum crassum quod residet in fundo alembici, in hac distillatione

custodiendum est, cum magmate, ex compressione olei primi, prelo & torculari facti, donec per descensum omnia magmata distillentur, spiritus autē hic connectendus est, cum nouo oleo recēter extracto, prelo & torculari, & ambo digerenda sunt, in balneo tepenti, per quindecim dies, deinde distillāda per balneum feruentis aquę, & iterum affundendū magmati quod residet, quicquid distillat, per hanc distillationem feruentis aquę, & hanc operationē quater aut quinquies iterabis distillando, affundēdo, & digerēdo, donec sal volatile, nucis moschatę ascendat, vna cum spiritu in forma niuis, aut cerę albę, quę leuissimo calore liquatur, & est fragrantissimi odoris: magmata verō omnia quę resident ex omnibus distillationibus, & expressionibus simul permiscēda, & in alembico ad descensum proprio collocanda, & distillanda, donec comburātur, & in cineres reducantur: oleum quod egreditur rectificādum per retortam, cum pauco vitriolo, vt ab empyreumate vindicetur, & à fœtore, & ex cineribus sal fixum extrahendum, & depurandum arte, & methodo communi, & simul omnia tunc temporis permiscenda, & in balneo tepenti vnicienda, vt fiant vnum seruandum ad vsus.

Vires & Vsus arcani predicti.

- 1 Oris suauitatem cōmendat, & fœtentis animę exhalantis virus abolet, propter gratissimū, & fragrantissimum odorem, quem suo spiritu, & sale volatili coërcet.
- 2 Lentigines, & faciei maculas omnes tutissimē emendat, propter salis sui absterisionem, &

Vires essentia moschata nucis.

penetrationem, & quod sanguinem laudatum ad faciem conuocet, & spiritus qui corruptum lentiginum & macularum sanguinem digerunt, & discutiant, multiplicet.

- 3 Visum acuit, ventriculum, & iecur roborat, lienem absumit, vrinam ciet, fluentem aluum sistit, flatu discutiit, frigidisque vteri affectibus, mirificè prodest, neruorum, & articulorū diurnis doloribus à frigore excitatis vtilissimum est, & ad Veneris excitandos stimulos maximè expetitur, quia summopere excalfacit, & auget calorem natium, & spiritus vitales & animales, qui sunt omnium actionum & functionum authores.

Sumitur ad quantitatem guttarum decem ad duodecim in iusculis, vel in aquis stillatitiis morbo appropriatis, & conuenientibus: vel miscetur vnguentis, aut per se applicatur exterioriùs tepidè, partibus affectis cum linteis eo arcano madidis.

De quinta essentia Cariophyllorum.

C A P. XL.

Cariophyllorum essentia.

ARTEM & methodum quam obseruauimus in extrahenda Cinnamomi essentia, eandem seruandam in Cariophyllorū extrahenda essentia præcipimus, vt & in extrahenda piperis, gingiberis, macis, & croci essentia, omniumq; seminum siccorum, & aridorum, & lignorum; vna enim & eadem est methodus cuius ope & industria, quicquid

extrahi potest essentielle opera chymica, ex his mixtis extrahitur, præsertim oleum per descensum, & sal fixum per combustionem: cætera verò quæ defunt ad perfectam essentiam constituendam, non possunt extrahi, quia sicca & arida habentur hæc mixta in his regionibus. Est tamen mea methodus, absit fastus & vaniloquium, cæteris omnibus acutior, quia per eam sal volatile, quamvis non apparenter, & visu ipso cernatur extrahi, extrahitur; quia oleum rectificatum dum infunditur aquæ stillatitiæ cinnamomi, ut iterum per balneum unà cum aqua egrediatur, ut odorem recipiat cinnamomi, sal volatile omne quod invisibiliter est diffusum, & dissolutum intra poros aquæ connectitur oleo; unde & aqua insipidior redditur: & quod in cinnamomo observatur, in reliquis alijs observare licet; sic sal volatile quod ex plantis, & seminibus, lignis, & fructibus siccis & aridis separari non potest, visu saltem ut appareat, hæc industria separatur, & adhuc fieri potest, ut visu appareat: nam si idem, & simile oleum cinnamomi multoties affunderetur aquæ novæ & recenti, & post digestionem distilletur, tandem oleum coagulatur, virtute spiritus salis, in loco frigido, & soluitur in calido, instar spiritus salis volatilis: itaque hanc eandem methodum observare oportet, si perfectam quodammodo, & absolutam cariophyllorum essentiam habere cupias, cuius vires & usus sunt.

Vires & Usus.

I. Iecori, ventriculo, & cordi maximè auxilia-

Vires &

*usus'essen-
tia Cario-
phillorum.*

tur, quia calorem conseruat naturalem, & perditum restaurat, & spiritus hinc multiplicat vitales.

- 2 Dentium doloribus quibuscumque summum est, & vltimum refugium, quia cum causticæ sit virtutis, neruum ferit dentis, & humorem acrem, & mordacem, dentis neruo illabentem mitiorem reddit, & in aliam mutat substantiam, vt in coniunctione duarum, & diuersarum aquarum fortium contingit, vna extinguit aliam, & tertiã gignit mitissimam, quæ non est vrentis, & pungentis virtutis.
- 3 Vlcera quęcumque curat, propter eãdem rationem, sal enim vrens, & causticum vlcus constituens, dissoluitur, & annihilatur per salem arcani huius, similiter vrentē, & ambo in aliã conuertuntur substantiam, vlcera non improbam, deinde natura suo balsamo naturali cicatricem inducit.

Sumitur in iusculis, vel aquis stillatitijs morbo appropriatis, ad quantitatem guttarum sex, ad decem vel miscetur vnguentis, & exterius applicatur, perse cum linteis, vel gossipio nostro arcano delibuto.

De quinta essentia Gummi Caranna.

C A P. XLI.

*Gummi Caranna etiam
& quid sit.*

OMNIA gummi excrementa sunt humidi arborum, vt diximus in Palladio nostro chymico, capite de distillatione mineraliũ, quia autem humidum radicale tribus constat, sale, sulphure, & Mercurio, videndum est an gummi sint trium il-

lorum excrementa, vel tātum vnius: Sunt quidem trium illorum, quia simul vna excretrice facultate ad corticem sua excrementa deponunt, nihilominus alia dicuntur sulphurea excrementa, alia mercurialia, alia salita, quod alijs prædominetur sulphureum quid, alijs mercuriale, alijs verò salitum. Sulphurea ergo dicemus, excremeta omnia gummi, cum in his plus sulphuris reperiatur, quam aliarum duarum substantiarum mercurij scilicet & salis, vnde olea videntur esse concreta, & resinæ & therebentinæ: hinc facili negotio in oleum reducuntur, summè penetrans, & excalfaciens, quia semper retinet naturam sui principij, excrementa enim sulphurea, omnia ætherea sūt & subtilissima, cum sint sulphuris alimentitij crudi, & infixi partes, spiritus æthereos, & igneos infixos habentes, vnde propter nimiam subtilitatem, & ætheream eorum substantiam, separantur calore naturali, à partibus alimenti fixi, & quia permiscentur mercuriali, & salito excreмето, statim in sublimatione dum aërem frigidum tangunt, condensantur evaporatis subtilioribus partibus, calore solis, vnde etiam iterum dissoluuntur, substantijs tantum æthereis, & igneis eis permixtis, vt sunt olea omnia, & spiritus, quia simile in sicale habet ingressum. Gummi itaque Caranna dictum ab Hispanis eiusmodi erit, & adhuc propter loci téperiem calidissimā, & arborem ex qua exsudat, quæ & calidissima est, sulphuream maiorem habebit substātiā, & subtiliorem, aduehitur enim ex partibus Indiæ Occidentalis, quæ Zonæ torridæ subijeēt, ex arbore cedro simili exsudat, arbor nunquam folia sua deponit, sed semper, virescit, fructūque vt aiunt

perenni grauida est, quod est lignum suæ caliditatis, & sulphuristurgentis signum, incolæ id ipsum gummi, experientia ipsa calidissimum existimant, & affectibus frigidis curandis, & tumoribus eiusdem naturæ resoluendis prospero & felici successu admovent. At nos quia ipsummet gummi virens, & vesicans reperimus, in essentiam reducere duxit ratio, vt amoueretur illa causticans & vrendi facultas, & mitigaretur sal illius pungens arte chymica; ita vt feliciori, & tutiori effectu, solatium sit multis qui morbis cruciantur incurabilibus: hac autem methodo id consequetur. Sumatur gummi. Carannæ, libra vnica aut altera, & dissoluatur optimo vini spiritu alchoolizzato, & à phlegmate aquoso vindicato, in phiala oblongi colli optimè clausa, in balneo tepenti per quindecim dies: deinde in cineribus distilletur seruatim ignis gradibus; quod primò egreditur cum spiritu vini, est spiritus gummosus carannæ, qui subtilissimus est, & æthereus: deinde stillat oleum flauum, tertio oleum rubeum: hæc olea omnia ter aut quater rectificanda sunt, & feces quæ remanent in fundo retortæ aut alembici, post vnâ quamlibet distillationem comburenda sunt fortissimo igne, vt reducantur in cineres: ex his arte & methodo communi extrahendum est sal fixum, hoc sæpissimè calcinandum & soluendum, vt deponat vrendi facultatem, donec dulce sit, & candidum, & limpidum: tunc temporis omnia hæc olea putà, & sal, simul permiscenda sunt, & connectenda, & in balneo tepenti vnienda, & seruanda sunt in phialis perquamoptimè clausis ad vsus.

Vires & Vfus.

Vires essen-
tia Carāna.

- 1 Arcanum est arthriticum; soluit enim dolores omnes ex causa frigida ortos, quod suo spiritu humores in nervos, tendones, & musculos stillantes fuget, & roboret suo vitali calore, partes frigiditate humorum extinctas.
- 2 Dissoluit, & emollit quoscumque tumores frigidos, duros & scirrhosos; quia eius spiritus coagulatum omne, & tartareum dissoluit.
- 3 In colico dolore nihil est præstantius, quia sæpe sæpius hic affectus ex pituita, & glutinosis, & flatulentis humoribus ortum habet: hoc autem arcanum suo illitu discutit, & disperdit, quicquid frigidum est, glutinosum, & flatulentum.
- 4 Ulcera inueterata etiam curat propter balsamum suum quod continet, & sal quod abstergit, & sal aliud vlcus faciens, & nutriens, corrumpit, & in aliam mutat substantiam.
- 5 Hemicraniam & dolorem capitis ex flatibus frigidis, & copia pituitæ ortam sanat solo temporum illitu quia flatus, discutit, & omne frigidum disperdit, tanta est vitali caliditate, & subtili præditum.

Potest sumi interius à quantitate guttarum decem ad duodecim in ovo sorbili, vel syrupo violaceo, aut papaueris; vel exterius applicatur, partibus affectis per se illinendo tepidè, superpositis linteis calidis, aut lana succida, vel misceretur unguentis, vlceribus, & morbis appropriatis, & cum his applicatur.

Ad similitudinē huius extracti, & essentiaē, pos-
sunt extrahi essentiaē omniū gummi, quæ virtutes
sequuntur, earū substantiarū ex quibus extrahētur.

De quinta essentia Therebentina.

C A P. XLII.

*Therebenti-
na essentia,
& quid sit.*

THEREBENTINÆ fontem, & scaturiginem
pauci sunt qui sciant, existimant omnes ferē
medici, & philosophi, esse therebenti liquorem aut
aliarum multarum arborum resinifarum, glutino-
sum humorem quemdam, qui exsudat ex his ar-
boribus, liquor quidem est, & humor, at qualif-
nam liquor sit, ex quibus constet substantijs, cur
ignem concipiat, & amarus sit, & cur calore arbo-
ris, qui potens est, dulcis non fiat, id scitu arduum
est, & philosopho dignum, ad primum dicimus,
liquorem esse alimētitiū arboris, ex humido ra-
dicali terræ originem ducens, quod radicibus ar-
boris, tanquam sanguisugis in altum trahitur, ad
alimentum, & calore centrali arboris digeritur,
fortē quidem digestionē, & acri, ita ut præ violen-
tia dulce quidquid est in succo terræ, radicibus ar-
boris in alimentum tracto, amarum fiat, ut appa-
ret in coctione mellis, quod si violentissimē co-
quatur, & acri calore digeratur, amaritudinē ac-
quirit summā. quāvis dulce sit, dulcedo enim est,
ex temperata coctione, & digestionē humorum
trium primorum, amarities verò ut suum contra-
rium ex forti, & intēperata digestionē, therebenti-
na ergo cū constet ex tribus substantijs primis sa-
le, sulphure, & mercurio, & sulphur prædominetur

cæteris duobus, hinc fit, quod interno suomet calore, & calore nativo arboris ex qua exsudat, & cuius est alimentum, dum digeritur, & coquitur amarescat, & ignem concipiat, propter sulphur, ei prædominans. quodque est maxime virtutis, & penetrandi summam habet facultatem propter spiritum subtile, & tenuem quem continet. Qui adhuc si separetur à glutinosis suis excrementis que penetrationem retardat, & impediunt, maiorem certe acquireret penetrandi virtutem, & erit menstruum, in quo flores omnes suum colorem, vna cum virtute sua deponent, per insolationem, & gummi omnia possunt dissolui, & in oleum conuerti, separatur autem oleum, & eius spiritus ex corpore therebentinæ, eiusque sal volatile sequenti methodo. Capiatur therebentinæ cuiusvis generis, veneta tamen cæteris præcellit, libra vna aut altera, & misceatur cum alia libra, aut altera spiritus vini optimi alcoholizati, & optimi, misceatur simul, baculo agitentur, donec vnita sint, deinde phialæ vitreæ satis amplæ & magnæ, ita ut tertia eius aut media pars non sit plena, & agitentur ibi diu, & longo tempore, donec in albedinem summam reducantur, tunc seponetur in loco frigidus, ut hypostasies demittant, postquam seposuerint, supernabit omnibus, spiritus vini, deinde sequetur therebentina, in oleum dissoluta flauis coloris, ultimo sequetur sal therebentinæ quoddam, albissimi coloris qui separatus, & exsiccat, cathartice est virtutis, & potentissime purgat per inferius, nulla molestia, nulloque sanitatis incommodo, spiritus vini, & oleum possunt simul permisceri, ut digerantur in balneo tepenti, per quindecim dies, phiala optime clausa, ne spiritus exhalet,

Tum demum distillare oportet ignes cinerum feruatis ignis gradibus, primo lento, donec spiritus therebentinæ, vnà cum spiritu vini, & phlegmate egressi sint, & distillati: tunc augendus ignis, & mutandum recipiens, quia oleum therebentinæ egredietur flauï coloris; & ignem augendo, & continuando oleum egredietur rubei coloris: vbi cessandum est, & quiescendum à distillatione. Olea autem flauï & rubei coloris, simul connectenda sunt, & bis aut ter rectificanda per retortam. Magma autem, quod residet in fundo alembici eximendum est, & contundendum, & in puluerem tenuissimum reducendum, & ponderi suo, plus duplo aut amplius addere oportet spiritum therebentinæ, qui in prima distillatione egressus est, vna cum spiritu vini, & simul digerere in balneo tepenti, per quindecim dies, vt dissoluetur omnino magma, tum distillare, leuissimo igne, distillatum digerere iterum, & iterum distillare, donec ascendat spiritus, vnà cum sale volatili therebentinæ, quod vltimò egredietur, & in capitello alembici coagulabitur in forma mellis, aut in fundo recipientis in forma olei residebit. Magma autem quod ex hac distillatione residebit, poterit comburi, vt in cineres reducatur, ex quibus etsi paucis poterit extrahi aliquid salis fixi, quod paucum est; quia hæc substantia tota sulphurea est, & volatilium partium, ideo que inter comburendum tota ferè euanescit: si quis tamen salem fixum desiderat in hoc arcano, poterit magnam copiam resinæ addere magmati, & vnà comburere, & in cineres reducere, & ex his deinde salem extrahere fixum, & depurare arte & methodo com-

muni, & depuratum connectere, sali volatili, deinde sumere vnciam, vnam aut alteram, aut quicquid erit residuum ex omnibus distillationibus, & sublimationibus, salis volatilii, & salis fixi, si simul sint coniuncta, & ad pondus eorum, addere spiritus therebentinae, sextam tantum partem aut septimam, olei verò flauii, & rubei rectificati nouam aut decimam tantum partem, & simul miscere, & seruare in phialis optimè clausis, tanquam arcanum mirandum, & stupendae virtutis in morbis chronicis, & insanabilibus curandis, aut saltem demulcendis.

Vires & Vfus.

- 1 Arcanum stupendum in comminuendis, & rumpendis renum arenulis, & calculis, diureticum enim summum est, & secum defert ad renes, Sal volatile, & fixum, quæ arenulas comminuunt, & calculos rumpunt, & in mucaginem dissoluunt.
- 2 In vlceribus omnibus malignis, & pessimi moris curandis, & aglutinandis nihil est efficacius, propter eius oleum, quod balsami naturalis vires æmulatur, & suum salem qui corrodes humores alterat, & in mitiorem mutat substantiam.
- 3 Frigidis neruorum, & articulorum affectibus summum est solatium, hinc est arthritide misere laborantium tutum confugium.
- 4 In percurandis venereis gonorrhæis, nihil est potentius, cum renes potentissimè expurget, & totam mesenterij molem, & jecur

Vires & Vfus essentia therebentina.

roboret, & sanguinem depuret.

- 5 Pituitam, & serosos humores, & glutinosos potenter nulla tamen molestia expurgat, & educit, hinc est senum omnium laudabile medicamentum, quo saburram humorum suorum singulis mensibus, deponant, vt longius, & durabilius trahant æuum.
- 6 Vermes etiam, & puerorum lumbricos, & ventris tineas interimit suo sale tum volatili & fixo, & propter eius amaritudinem summam.

Sumitur ad quantitatem drachmæ vnius in iusculis, vel in succo limonum, vel syrupo eorumdem, manè, ieiuno stomacho, seruato regimine & custodia, vel exterius applicatur partibus affectis cum gossipio, eo arcano madefacto, ad modum balsami.

*De quinta essentia Myrrha, Thuris,
& Mastichis.*

C A P. XLIII.

*Myrrha, &
Thuris es-
sentia.*

MYRRHÆ, Thuris, & Mastichis sumes ad quantitatem libræ vnius, & postquam spiritu vini lota fuerint, affundes super ipsa, in phiala aut in retorta, spiritum therebentinæ, ad pondus omnium quantum ipsa ponderant, & digeres in balneo tepenti per quindecim dies, deinde distillabis leuissimo igne, vt separetur spiritus there-

bentinæ affusus, & iterum affundes, & digeres per quatuor dies: his peractis; distillabis, leuissimo igne, vt spiritus iterum therrebentinæ separetur, deinde mutato recipiente continuabis distillationem, donec nihil amplius distillari possit: magma quod residet, extrahes, & combures fortissimo igne, ex cineribus eius extrahes salem fixum quem depuratum arte, & methodo communi oleo coniunges, tincturam autem florum verbasci & hypericonis, spiritu therebentinæ extractam his addes, vel vt labore isto careas, spiritus therebentine qui affunditur & digeritur vnà cum myrrha, thure, & mastiche tinctus erit floribus illis, verbasci, & hypericonis, vt distillando deponat tincturam in oleo eorum, sic seruabis illud oleum balsami naturale vires proximè æmulans.

Vires & Vsum.

- 1 Si istud oleum connectatur cum arcano Aristologiæ rotundæ, & consolidæ majoris superius extractum, capite 35. huius libri, perfectissimum, & absolutum erit balsamum, ad curanda quæcumque vulnera recentia, & inueterata, & in vlcus transmutata, simplicia, & composita, propter oleum suum, quod calore natiuo temperatissimum, humido radicali nostro, amicissimum est, & ferè simile, vnde citò deperditū reparatur, apposita eadem aut saltè simili natura.
- 2 In curanda dysenteria, lienteria, & quocumquealui fluxu, cum oleo martis, aut croco eius permixtum nihil est potentius, quia sistit

catarrhos omnes, & humores acres temperat, vlcusque, si quod sit in intestinis, breuissimo agglutinat tempore, tum iniectum per clysteres, tum per os assumptum.

Sumitur à quantitate scrupuli vnus, ad duos in aquis morbo conuenientibus, & appropriatis, vel applicatur exterius per se solum tepidè cum gossipio, vel miscetur vnguentis, & balsamis vulnerarijs, & applicatur atte, & communi methodo.

Conclusio huius libri secundi.

CAP. XLIV.

Laus Alchymia, & potestas.

OMNES vegetantium essentias persequi velle, non solum infinitum esset opus sed & multo tædiosum, & nullius vtilitatis studiosis chymicis, quia sufficiunt capitula præcedentia, vt quicquid ex vegetantibus educi potest, opera chymica educantur, simili serua- ta methodo, & arte: ita vt modo linces habeant oculos chymici studiosi, æconomiam omnem internam vegetantium omnium, hisce antecedentibus patefactam habebunt, ex his facillè percipient omnes philosophi; quantum laudis honoris & gloriæ, supra aliàs scientias omnes mereatur alchymia, quæ tanta secreta, & arcana abstrusa, densa caligine circumfusa, in lucem promit, ita vt obscurum, & atrum elementorum pallium, & tegumentum non suffi-

iat, quum lumine suo ad intima naturæ pe-
netralia detur aditus, itaque æquo, & iusto ma-
tris philosophiæ, & luminis naturæ nomen me-
reri asseremus, cum quicquid est in rerum na-
tura scitu dignum, eius luminis ope verè, &
propriè sciatur, & per eius causam cognosca-
tur, eiusque operibus, & artibus Mathematicè
manifestentur omnia abstrusa.

LIBER TERTIUS

De mathematicis finibus

liber

CAPITULUM

V. t. i. sunt philosophantur quum
natura in se non admittat
tunc natura, quod hoc corpus ab
est, & dicitur, & simpliciter
sunt, & dicitur, & simpliciter
videntur, & dicitur, & simpliciter
tunc, & dicitur, & simpliciter
que, & dicitur, & simpliciter
& dicitur, & simpliciter
tunc, & dicitur, & simpliciter
& dicitur, & simpliciter
tunc, & dicitur, & simpliciter
& dicitur, & simpliciter





MYROTHECII SPAGYRICI.

LIBER TERTIVS.

*De mineralium spiritu extra-
hendo.*

CAPVT I.

*Spiritus Mi-
neralium,
quid.*



MULTI sunt philosophorum, qui mi-
neralium spiritus non admittunt in
rerū natura, quod sint corpora aded
terrestria & dura, vt simplicem persi-
stendi facultatem habeant, nullaque
viuant anima, nihilominus experientia ipsa con-
trarium cernitur in mineris, & terræ focis, aëris-
que spatijs vbi sæpissimè metalla & mineralia, vt
& animalia generantur, pluuiaque decidunt in
terras, vnde necesse est vt habeant spiritus quo-
rum ope, generationes eorum in tanta abstrusa,
& longinqua spatia protendi possint, nec opus
proinde, vt viuant anima, vt arbores & animalia,

quia eorum spissum igneum non adeo copiosum est, & purum, vt in eo gradu perfectio- nis, & puritatis attingat, vt hinc deinde vita & anima exurgat, similis, & æqualis animæ planta- rum & animalium, at viuunt mineralia, anima mundi, quæ inseparabilis, est ab spiritu mundi, at communiter loquendo. Aliud est habere animam & viuere, & aliud est habere spiritus, differt enim toto cælo spiritus ab anima, nec quicquid ha- bet spiritus animam habet, vt clarissimè patet, in spermate animali, & semine vegetantium, quæ omnia habent spiritus, & tamen non vi- uunt, nec animam habent actu, sed potentia tantum, simili eloquio spiritus admittimus in mineralibus, dicimusque spiritum istum esse sub- tilissimam partem volatilem humidi radicalis mi- neralium omnium. Qui tantæ est virtutis, & effi- caciæ in chymia faciendâ, vt eo absente, pereat omnino totius alchymia supellex, industria & opus, in eo ergo extrahendo tota ars consistit, & arcanum omne concluditur, copiosissimè extra- hes ex vitriolo fortissima distillatione, cumque spiritum distillatum cum suo phlegmate, putre- facies, in phiala oblongi colli peroptimè clausa, in balneo tepidissimo, donec phlegmati permis- ceatur, & fiat aqua, tum demum à phlegmate, & aquoso humore, putrente, & fœtido, vindicabis per rectificatioes, septimo iteratas, cum eo spi- ritu sic rectificato miranda patrabis, vt in sequen- tibus videre licebit; reserat enim omnes metallo- rum compagine, & in suam naturam liquidam resoluit.

*Per
lum intelli-
go sal me-
tallorum.*

De quinta essentia Auri.

CAP. II.

*Auri essen-
tia quid, &
qua ratione
fiat.*

AURUM compago, quamuis omnium metallo-
rum, omniumque rerum naturalium vincat
compages, attamē dissoluitur, & in liquidam con-
uertitur substantiā sequenti methodo, postquā au-
rum purum, & putū antimoniali cemento purgatū
& cineritio, dissolutū fuerit per aquā regiā fortem,
& oleo tartari in fundo solutionis suæ præcipitatū,
in puluerem tenuissimū, edulcorādus est, hic pul-
uis multis lotionibus per aquam fontanam factis,
donec tota acrimonia aquæ fortis euanescat: deinde
exsiccandus erit leuissimo calore Solis. Caue ne
exsicces igne, quia citò suscipit ignem, & flam-
mam tonitru plenā, tum demū fulminantem hūc
puluerē dissolues in spiritu, seu oleo vitrioli nostri
rectificato, vt dictū est in capite I. huius libri. Dis-
solutionem fouebis balneo tepenti, per dies quin-
decim. Tinctū hunc spiritū, & rubicundissimum
clarum, & limpidū separabis per inclinationem, &
seruabis in phialis peroptimè clausis ad vsus ferē
infinitos. Potest etiam dissolui hic puluis auri, hac
methodo præparatus, in balneo tepenti, cū spiritu
salis, de cuius præparatione inferiūs dicemus pe-
culiari capite, dissoluitur etiam cum sale tartari
volatili facto, & dissoluto, & omnes hæ dissolu-
tiones perquamoptimæ sunt, & pari donantur vir-
tute, extrahitur autem eius tinctura beneficio olei

alchoolyfati vitrioli communis, conuertitur etiam aurum igne continuo in furno vitrariorum, in calcem intra sexdecim aut quindecim dies, quæ calx facillimè liquefcit, in spiritu acido falis, vel in spiritu acido mercurii, & hæc sunt secreta artis.

Vires & vsus.

- 1 Summum est confortatiuum, & superat omnia alia arcana in roborando, corde, cerebro, hepate, & reliquis omnibus partibus nostri corporis, quæ ad vitam conseruandam conferunt, habet enim humidum suum simile nostro, vnde conuertuntur citò in vnã & eandem substantiam, & fortiori compagine ligatur humidum nostrum, compagine duriori alterius, hinc fortiùs deinde resistit omnibus vitæ incommodis. *Vires, essentia auri.*
- 2 Senectutem summoperè retardat, renouato & restaurato humido radicali nostro, propagatque vitam in longius æuum quam credi fas sit, quod arcanum prædictum fixet humidum nostrum, & durissima compagine coagulet; ita vt, calore naturali suo, ne facillè euanescat, vt fieri assolet, propter infirmam sui ipsius compaginem.
- 3 Omnibus morbis potest commodissimè exhiberi, & nullis aduersatur, quia roborata per ipsum natura, ipsamet deinde, à suis liberatur malis.
- 4 Virtutes adhuc possunt exaltari, & sublimiores fieri, modo solutio ipsa arte, & industria coctionis in altum sublimetur, & iterum soluta

coaguletur, & rota physica per calores transeat omnes.

Sumitur in aquis stillatitiis cinnamomi, anisi, & in iusculis restaurantibus, ad quantitatem scrupuli vnus, omni tempore, & quacumque hora, & quacumque data occasione, in omnibus morbis, & vitæ incommodis, regium est medicamentum, & principibus dignum, verum est aurum potabile, cuius virtutes infinitæ sunt, nec libro integro comprehendi possunt, beatissimus est Medicus qui eo vti potest, vt honoris culmen acquirat, & oculos omnium, & linguas, laudes & encomia prædicantes in se conuertat.

Potest hoc arcanum in oleum verum cogi, & in salem rubicundissimum ita vt rubedinis splendorem imitetur, sed semper habet easdem virtutes, & simili propinatur dosi, & cum hisdem mediis & vehiculis.

Vitriolum illud ex quo spiritus aurum & metalla dissoluens, extrahitur ex mercurio, per mercurium, & deinde miris modis putrefactione soluitur, & distillatur, & summopere purificatur, & eo vtimur, vt aurum soluamus.

De quinta essentia Argenti.

C A P. III.

Argenti essentia.

AR G E N T V M non inferiores admodum possidet auro virtutes, at in liquidam substantiam conuertendum est, vt in nostram possit

mutari substantiam , & suas promere virtutes, quamdiu enim substantia sua, firmissimo illo repagulo, & malleabili coërcetur, nullas ostendit efficacias , postquam autem repagulum istud, & vinculum contractum est , & liquido coërcetur vinculo, tum demum mirandas promit ex centro sue virtutes, & proprietates, istud autem vinculum pari rumpitur methodo. Argentum postquam cineritio purgatū fuerit, ab omnibus heterogeneis excrementis, ita vt tanquam plena luna clarescat, dissoluendum est aqua forti , dissolutionem per octo dies, aut quatuor saltem fouebis, in balneo tepēti, deinde huic dissolutioni addes oleum tartari purissimum, vt argenti in fundo præcipitetur in puluerem albissimum , hunc lotionibus multis aqua dulci edulcorabis , deinde dissolues hunc puluerem in oleo vitrioli superius præparato capite primo, vel in oleo salis , dissolutionem fouebis balneo tepenti, per mensem vnum , donec oleum salis , vel vitrioli in cæruleum tinguatur colorem. Quod oleum sic coloratum separabis , & phialis vitreis inde optimè clausis, & seruabis, ad vsus.

Vires & Vfus.

1 Epilepticum est arcanum & quascumque epilepsias, veteres & recentes , nulla difficultate curat , quia adeò roborat cerebrum, & spiritus animales multiplicat , vt humores omnes, & vapores , tum per sympathiam alicuius partis inferioris in caput, ascendentes , vel per ydiopachiam in capite

*Vires &
vsus essen-
tia argenti.*

ipse stagnantes, expellat, & foras accendat.

- 2 Maniam Lycanthropiam melancholicos omnes alios affectus, phrenesim & delirium omnem tutissimè sanat, propter eandem rationem.
- 3 Hecticos & pthysicos euidentissimè iuuat, & labentes eorum vires refocillat, & restaurat, & in pristinam restituit sanitatem, si auri potabilis guttulis quibusdam admisceatur, & propinetur, in aqua cinnamomi, bis in hebdomada.
- 4 Cerebri omnes affectus, & passiones certissimè sanat, quia argentum verum, & vnicum est, cerebrum microcosmicum, ita vt cerebrum cerebro iunctum constituent fortissimum cerebrum, vt resistat omnibus morbis.

Sūmitur in iusculis restaurantibus, vel aquis stillatitiis melissæ, & cinnamomi, vel miscetur, cum essentia melissæ, & cinnamomi, & potentius agit, ad quantitatem guttarum decem vel quinque, vtriusque arcani, cinnamomi scilicet, vel melissæ, & omne deinde permiscetur iusculo, & propinatur manè, ieiuno stomacho, iteratur dosis bis in hebdomada, donec cesset affectus.

De quinta essentia Ferri.

C A P. IV.

Ferri essentia.

FERRVM limatum candefaciendum est igne valido, in crucibulo seu tigillo, huic ferro can-

defacto, affundendum acetum acerrimum, donec peroptimè extingatur, extinctum iterum candefac, & candefactum aceto extingue, idque septies repetendo, donec in rubicundissimum crocum ferrum conuertatur, deinde dum phialæ inditum est oblongi colli, huic affundenda est aceti stillatitij acerrimi permaxima quâtitas, ita vt septem aut octo digittis superemineat croco, & totû omne phiala optimè clausa, collocandum est in furno cinerum, ad digestionem lentam, per mensem vnum, agitando phialam singulis quibuscumque diebus, donec acetum tinguatur in rubeum colorem, acetum tinctum deponendum est per inclinationē in vas aliud vitreum, nouum autem acetum stillatitium, magmati residuo affundendum, & iterum digerendum in cineribus tepidis, donec tinguatur. Hoc iterum separandum est, & priori coniungendum, magma autem tunc temporis residuum calcinādum est, & candefaciendū in tiglio, & aceto vt prius extingendum quater aut septies, donec iterum in crocum conuertatur, huic croco phialæ imposito affundendum est acetum acerrimum iterum stillatitium, & digerendum, vt prius, donec tinguatur, & tinctum separandum, & magmati residuo, iterum affundendum est nouum acetum stillatitium, & digerendum donec tinguatur: hoc toties repetendum est, quoties per digestionem tingetur acetum. Postquam autem non amplius colorabitur, acetum omne tinctum distillandum est in balneo leui igne, donec tinctura remaneat in fundo alembici in consistentia mellis, huic affundendus est spiritus vini alchoolifatus, & ab omni phlegmate

aquoso vindicatus, donec dissoluatur omne magma, per digestionem leuam in balneo tepenti, spiritus vini tinctus separandus est per inclinationem, & magmati residuo, quod solutum non fuit affundendus est nouus spiritus vini alcoholifatus, & iterum digerendus, hocque repetendum est, donec omne magma solutum sit, & non amplius tinguatur spiritus vini, colore rubicundissimo. Spiritus omnis tinctus distillandus per retortam leuissima distillatione, donec omnis spiritus conscensus sit. Tunc demum augendus est ignis, & forti distillatione mutato recipiente, colligendum est oleum ferri, perquamoptimè rubeum, & ter aut quater, per retortam rectificandum est: magmata verò residua, cuiuscumque distillationis simul colligenda sunt, & simul ignienda in tigillo, tandiu donec albescant. Ex his deinde salem elicies album per liones, & euaporationes multoties iteratas cum calcinationibus, salem hunc purum, putum, & candidum addes oleo tuo rectificato, & seruabis ad vsus in phialis vitreis optimè clausis.

Vires & Vfus.

*Vires &
vsus Ferri
essentia.*

- I Balsamum est mirum ad curanda vlcera omnia, vetera & recentia, & vulnere quacumque, quia potentissimè agglutinat, humores corrodentes dissoluit, & in aliam mutat substantiam, & putredinem suo sale fixo impedit, & partes præseruat, sanguinem laudatum conuocando, & spiritus.
- 2 Alui quoscumque fluxus compescit simili ra-

tionem, & quia præterea ventriculum astringendo roborat, & eius calorem multiplicat.

- 3 Gonorrhœam etiam sistit quâcumque siue veneream, siue aliam, quia hepar mirificè roborat, eius spiritus multiplicando, & sanguinem ab omnibus mucosis humoribus & putrefactis emungendo.
- 4 Hepaticum fluxum sistit, quia dum orificia venarum mesenterij reserata attingit sua astringendi facultate claudit & compescit.
- 5 Immodicos vteri fluxus etiam sistit, propter eandem rationem, & partus debiles, & labentes confortat, roborat, & in vtero retinet, obserato vteri osculo.

Sumitur ad quantitatem scrupuli vnus, cum aqua acetosæ, aut portulacæ, aut cum syrupo de limonibus, de granatis, de succo verberis, acetoso, & reliquis similibus morbo curando appropriatis, vel applicatur exterius tepidè cum gossipio eo oleo madefacto.

De quinta essentia Veneris, seu Cupri.

C A P. V.

CVPRVM subtilissimè limatum permiscendum est cum pari quantitate florum sulphuris & salis tartari tertia parte, & ollæ terrea vitreatæ imposta, cum sufficiente aquæ quantitate

Cupri essentia.

bulliant per duas horas, & inter bulliendum agitentur spatula lignea, donec totum cuprum sulphur, & sal tartari dissoluta sint, vel si fortius & citius cuprum dissoluere vis, non aquam impones, sed ollam cum floribus sulphuris, & sale tartari vna cum cupro, superpones igni, donec omnia liquata sint, & peroptimè permixta: quibus tunc temporis affundes aquam fontanam bullientes, & simul igne bullire permittes, donec omnia soluta sint, addendo aquam nouā, quoties opus erit, si inter bulliendum euanescat solutionem deinde frige factam, ollæ vitreatæ impones in cella vinaria, vel in aliquo loco frigido, vt ex illa solutione limpida, & clara concresecat vitriolum colore cæruleo coruscans. Collecto hoc vitriolo omni, aquam superstitem, ad mediam partem euaporando consumes igne leui, & iterum repones in loco frigido, vt rursus concresecat in vitriolum, & sic iterando perages ebullitiones, & in loco frigido repositiones, donec tota dissolutio in lapillos vitriolatos abierit, quos collectos igne siccabis, in cupreo, aut ferreo vase, & semper spatula ferrea agitando, & mouendo in puluerem reduces albissimum, hunc impones retortæ luto perquamoptimè munitæ, & impones furno carbonibus hinc vtrinque sursum deorsum impositis, ita vt retorta maneat, semper ardens, & candens medijs ignibus: furnus ad hanc solam & particularem distillationem proprius, & peculiaris esse debet, quia ignis in hac sola distillatione fortissimus sit oportet, & fortior quam in aliis omnibus distillationibus, alioquin spiritus æthereus egredi non posset, quod fortissima compagine

ligetur sali suo fixo, itaque excogitandus est furnus in quo ignis fortissimo fortior fieri possit; quod fiet si retorta luto munita in medio furni alicuius cruci terreæ, aut ferreæ collocetur: deinde cooperiatur retorta capitello terreo fortissimo capacissimo, ita ut carbonum maximam quantitatem coercere possit furnus, & ignem eo pacto suis parietibus violentissimum fouere, & sic retortam ignitam semper, & candentem retinere, donec spiritus omnis egressus sit in vas recipiens, quod collo retortæ perquam optimè iunctum, & lutatum esse debet, ne exeant spiritus qui subtilissimi esse solent. Postquam autem spiritus omnis in forma, & specie fumi albi egressus fuerit, quod residet in fundo retortæ rubicundissimum, aut nigrum, aquæ fontanæ perlimpidæ imponendum est, & bullitione solvendum in vase æneo. Solutionem, seposita hypostasi, filtro traiectam, ut optimè clarescat, euaporandam præcipimus in vase æneo, & in puluerem tenuissimum ut prius omne quod in solutione continetur, reducendum, & retortæ vitreæ luto munitæ, ut prius imponendum, & distillandum simili methodo, donec egrediantur omnes spiritus, qui firmissimo repagulo custodiendi sunt ne pereant. Quod residet in fundo retortæ iterum ut prius soluendum aqua limpida bulliente, & ut prius iterum euaporandū, & in puluerem distillandum; hoc repetere oportet, donec quod residet in fundo retortæ post distillationem, albissimum sit, neque colorem mutet & variet per ignem quemcumque. Hunc salem benedictum aqua fontana septies distillata dissolues, & quod est sal

heterogeneum quod non liquatur, sed fundum petit, & facit hypostasim albam, seponendum est per filtrum, & separandum ad solutionem claram & limpidam, per alembicum vitreum in cineribus leuissima distillatione, ad siccitatem vsque: deinde iterum per aquam distillatam eandem soluere, & filtro traicere vt feces omnes seponat, & limpidissima sit solutio, quam iterum distillabis vt prius: hoc repetes, donec nullas emittat feces in solutione sal tuus benedictus. & colorem rubeum acquirat pedetentim, quem quamuis tardè acquirat, tamen tandem acquirat: hic deinde custodiendus est, donec spiritus suus depuratus sit, quod sequenti methodo fiet. Spiritum omnem egressum ex prioribus distillationibus, phialæ oblongi colli impones, osculoque clauso luto firmo, balneo repentis fouebis per mensem vnum, caue ne inualecat ignis, quia euanescerent spiritus: hoc cognosces naribus impositis osculo vasis tui, feriunt enim spiritus illi cerebrum fortissimè: & sic prudenter ignem lentissimum continuabis, aucto vel diminuto secundum exigentiam spiritus, sic enim spiritus illi pedetentim in aquam transeunt, & ignem pati discunt. Mense peracto tuam aquam spiritibus plenâ retortæ impones, & distillabis per balneum, quicquid distillari poterit: deinde cineribus quod residet distillabis fortissima distillatione, vt omne ascendat, & hoc solum quod in cineribus distillatur septies rectificabis, mutata retorta in singulis distillationibus, quæ sæpissimè franguntur retortæ: hunc spiritum si rectificatum impones sali tuo rubeo, & in balneo repentis collocabis, donec dissoluatur sa-

rubeus, & fiat aqua : deinde distillabis, & quod ex distillatione flauum, & aurei coloris egreditur, seruandum est, & custodiendum tanquam arcanum summum ad curandum omnes ferè morbos, si aurum solutū ei addatur : sal verò quod residet in fundo retortæ iterum depurandum est, & in colorem rubicundissimum reducendum methode prædicta, & dulcorandum, & tunc temporis seruandum in phialis vitreis vel aureis, peroptimè clausis, ad vsus ferè infinitos. Sunt qui tincturam huic sali rubeo adhuc reddant, & iterum putrefaciant & distillent, & sic omnem tincturam auferunt, & salem omnem liquidum & volatilem reddunt, & volatilem leui calore & tempore longo fixum faciunt, quod ego maximè probo & laudo; est enim tunc temporis arcanum summum chymicum, & lapidis physici æmulari vires, modò sal hic vera putrefactione soluatur, & depuretur.

Vires & Vfus.

- 1 Omnes cerebri affectus curat, siue ex causa frigida, siue calida ortum habeant, quia mirificè roborat, humidum radicale naturale restaurando & depurando, si læsum sit: itaque est lepræ vnicum remedium.
- 2 Febres omnes continuas & intermittentes certissimè sanat, quod sanguinem depuret per vias criticas, corruptionem impediatur, & factam expellat, viscera omnia roborat, calorem omnium restaurando, & roborando.
- 3 Cutis omnes excoriationses tutissimè sanat,

*Vires
vsus et
essentia.*

vulnera ulceraque quacumque vetera, & recentia, ad cicatricem perducit, solo illitu; quia per suum salem, salem nostri corporis corruptum, & in acrem & mordacem reductum mitigat, & dulcem reddit, sua exuberanti dulcedine, & temperato calore vitali.

- 4 Dolores omnes arthriticos ex quacumque causa ortos mitigat & soluit, quia catarrhos omnes sistit, & exsiccat, roborato cerebro, articulosque mirifice fouet, mucosam & tartaream substantiam, eis impactam, suo sale & spiritu soluendo, & expellendo.
- 5 Tumores omnes scirrhosos & præduros emollit, suo spiritu salis soluto & liquido, qui omnia lapidosa & tartarea soluit & discutit.
- 6 Nimis longum esset percurrere omnes huius arcani virtutes, & proprietates, sufficet hoc tibi vnum, quòd omnibus morbis accommodari potest, quòd sit arcanum restaurans, & roborans.

Sumitur in iusculis, in aquis stillatitijs cinnamomi, anisi, vino hippocratico, & in ouis forbilibus, & panatellis & similibus alijs, ad ægrotantis libitum & saporem, à quantitate scrupuli vnus ad duos, quouis tempore, & quacumque hora, nulloque seruato regimine, quia non est opus, cum sit restaurans arcanum & roborans.

De quinta essentia Plumbi.

CAP. VI.

PLUMBVM postquam liquatione & spatulæ *Plumbi. es-*
 ferreæ agitatione, super ignem calcinatum *sentia.*
 fuerit, & in puluerem tenuissimum reductum, &
 calcinationibus iteratis in minimum redactum,
 soluendum est aceto acerrimo stillatitio: post-
 quam solutum fuerit, solutio clara & limpida eua-
 poranda est in vase æneo, donec magma quod
 residere debet, habeat consistentiam mellis: hoc
 magma iterum nouo aceto acerrimo stillatitio,
 soluendum est, solutum in balneo tepenti fouen-
 dum est, per mensem vnum; deinde euaporan-
 dum, donec magma habeat mellis consistentiam:
 hoc iterum soluendum & digerendum in balneo,
 quater aut septies: deinde euaporato aceto, opti-
 mo vini spiritu alchoolizato soluendum magma
 est, & digerendum in balneo tepenti, per quindecim
 dies, phiala optimè clausa, ne pereat & eua-
 nescat vini spiritus: hanc vltimam solutionem
 retortæ imponendam, & distillandam leuissimo
 calore præcipimus, donec egressus sit omnis spiri-
 tus: tunc mutato recipiente ignem augebis, vt
 exeant plumbi spiritus albi & dulces, & tandem
 oleosa substantia flauæ coloris, & tandem rubei:
 hoc oleum quater aut quinquies rectificabis: fe-
 ces quæ in fundo retortæ relinquuntur ex distil-
 latione nigræ & atræ, eximendæ sunt, & combu-

rendæ, & fortissimo igne calcinandæ, donec candore summo induantur: tum demum aqua septies distillata perfundendæ, & in balneo bulliente fouendæ, vt quicquid est salis fixi in his fecibus soluat, & in aquam transeat: hanc aquam deinde hypostasi facta per inclinationem separabis, aut filtro trajicies, vt clarescat, & euaporabis, euaporatum calcinabis, calcinatum iterum solues, & solutum euaporabis, iterum & iterum calcinabis, has operationes sæpius iterando, donec sal istud candidum sit, & dulce, & facilis sit liquationis calore leui, velut cera, aut butyrum: hoc sal deinde coniunges, & connectes spiritui albo plumbeo qui ante oleum rubeum plumbi egressus est, & simul coniuncta fouebis in balneo tepenti, per quindecim dies: tum demum distillabis, & distillatum magmati addes & redistillabis, donec ascendat sal fixum, & fiat volatile, quod septies sublimatum coniunges oleo rubeo septies rectificato, & digeres in balneo tepenti per mensem vnum, donec hæc tria fiant vnum, quod seruabis in phialis perquamoptimè clausis.

Vires & vsus.

Vires & vsus essentiæ Plumbi.

- 1 Hoc arcanum plumbi, est verum & vnicum vlcerum & vulnerum omnium balsamum; sua enim dulcedine acre omne & mordax quod in corpore nostro stagnatur, resoluit & dulce facit, & est pabulum & nutrimentum humidi radicalis læsa-

rum partium.

- 2 Combusta omnia citissimè sanat, ex eadem ratione, & dolorem perquam citissimè compescit, quia suo temperamento partes solutas igne, ad temperamentum naturale reducit, humidum radicale fouendo, & partes solutas agglutinando.
- 3 Hecticos, phthificos, tabidos & macilentos omnes mirificè recreat, & restaurat, febrem eorum extinguendo, humidumque despartum refocillando & reparando, spiritusque omnes tum naturales, tum vitales, & animales multiplicando.
- 4 Vterinos omnes affectus, syncopes, strangulationes, deliria, epilepticos insultus, maniam & furorem, pallidos fœdósque colores rutissimè sanat; quia vterum ab omnibus heterogeneis excrementis, & præter naturam vindicat & liberat, spiritibus multiplicatis tum seminis, tum sanguinis, & euacuato sanguine menstruo aut semine putrente.

Sumitur in iusculis, vel aquis appropriatis, vel syrupis conuenientibus morbo curando, ad quantitatem scrupuli vnus, manè, ieiuno stomacho, seruato regimine & custodia, quia aliquando potentissimè purgat, sursum & deorsum, aliquando per vrinas, aliquando per sudores, secundum naturæ exigentiam & necessitatem, quò ducendum est roborata natura educit.



De quinta essentia Stanni.

CAP. VII.

Essentia
Stanni.

STANNVM perquam optimum non adulteratum plumbo, nec alijs rebus stanno heterogeneis, liquandum est in forti tigillo, aut scutella terrea forti admodum, vt ignem pati possit, vel ferrea quæ melior est omnibus: postquam liquidum fuerit stannum, spatula ferrea agitandum est, donec in puluerem tenuissimum, & albissimum conuertatur: hic puluis phialæ vitreæ impositus, soluendus est aceto acerrimo stillatio. Paratur optimè acetum ad hanc operationem faciendam, & metalla omnia soluenda ex amalgamatione stanni, cum mercurio, & sublimato, omnium æqualibus partibus, & hæc distillando in retorta leuissimo igne: liquor egressus fumosus valdè, coniungitur cum æquali quantitate spiritu vegetabili alcoholifato pedetentim, & cum magna industria, & cum tartaro suo, quod remansit in fundo retortæ connectitur, & distillatur in acetum verum philosophorum, quo vti poteris ad metallorum animas extrahendas imposito, ad eminentiam quatuor digitorum, & balneo bulliente fouendum omne est per duos aut tres dies, sæpissimè phialam agitando, vt melius soluatur stanni calx. His diebus transactis, quod clarum est ex aceto per inclinationem affundendum in aliud vas

acetum
philosoph.



vitreum, & magmati residuo aliud acetum nouum stillatitium affundendum, & digerendum per alios duos dies in balneo bulliente, agitando phialam vt prius, has operationes continuando donec tota plumbi calx soluta sit: tunc temporis solutiones omnes simul coniunctas euaporabis, donec magna resideat in consistentia mellis, in fundo vasis euaporatorij: hoc magma iterum aceto acerrimo soluendum stillatitio, & solutum digerendum per tres quatuorve dies, deinde euaporandum ad consistentiam mellis, iterumque soluendum & digerendum vt prius, idque quater saltem reperes, soluendo magma quod residet per acetum stillatitium, & digerendo, vt melius soluatur: tum demum in vltima euaporatione, magma quod residet, spiritu vini alcoholisato soluendum erit, & per quindecim dies, in phiala oblongi colli optimè clausa, in balneo tepenti digerendum erit. Tum demum retorta distillandum leui calore in cineribus, donec ascensus sit omnis vini spiritus, deinde mutato recipiente, iuncturis optimè clausis: augebis ignem, seruatis ignis gradibus, donec ascensus sit omnis stanni spiritus in forma aquæ lactæ, albissimæ: cessantibus hisce guttis, prodibit oleum subalbidum subflauo coloris: peraucto fortissimo igne, vsque ad finem distillationis, oleum septies rectificabis, vnà cum suo spiritu albo, & seruabis, donec ex fecibus quæ relinquuntur ex hac distillatione salem fixum extraxeris, eumque depuraueris arte & methodo communi multoties declarata, eumque depuratum & ab omni excremento vindicatum, fusilem factum coniunges spiritui volatili albo, & rectificatio-

nem spiritus super ipsum multoties iteratam, volatilem facies, & volatilem factam aliquoties sublimabis, tum demum coniunges oleo suo & spiritui, & digeres in balneo tepenti, donec tria fiant vnum, & seruabis ad vsus.

Vires & Vfus.

*Vires &
vsus essen-
tia Stanni.*

1 Omnibus morbis quibus & essentia plumbi conuenit, conuenit & hæc stanni essentia, sed potentiore & virtuosiore effectu, quia sal, & mercurius qui latitant in centro suæ substantiæ perfectiores sunt, quàm qui in plumbo resident.

2 Æmulatur proximè virtutes & proprietates essentia argentii, quia mercurius eius & sulphur puritatem saltem, si non fixationem æquam habent, vnde cerebri omnibus affectibus medetur.

3 Maniam, melancholiam omnem, phrenesim, carum, & soporiferos omnes affectus certissimè curat; quia cerebrum roborat, & ab omnibus excrementis, & vaporibus præter naturam qui sursum efferuntur liberat, & vendicat.

Hepatis etiam affectus sanat, quia sanguinem depurat, & calorem naturalem hepatis adauget euacuatis serosis ex sanguine humoribus, per vrinas & per sudores, & insensibilem transpirationem.

5 Confert summopere hydropicis, quia sallem solutum, & liquatum euacuat, reli-

quum autem fixat & coagulat, & in corruptionem ire non permittit.

Sumitur in iusculis, in vino optimo, in aquis stillatitijs morbo conuenientibus à quantitate scrupuli vnus ad duos, manè, ieiuno stomacho, seruato regimine & custodia, quia purgat sursum & deorsum, sed nulla molestia.

De quinta essentia Argenti

viii.

C A P. VIII.

L A T I T A T in mercurio medicamentum summum, modò rite præparetur, infinitos curans morbos, quorum cura, & remedium vnicum & solum in centro mercurij delitescit: præparabitur autem ritè sequenti methodo. Postquam sublimatum fuerit argentum viuum, ter aut quater, ex vitriolo, & salepetra, via communi & methodo vulgari: septies iterum sublimabis ex sale communi decrepitato, & ad summum candorem depurato. Hunc sublimatum mercurium purissimum & album phialæ vitreæ oblongi colli indes, eique affundes ad eminentiam quatuor aut quinque digitorum spiritum salis ab omni phlegmate vindicatum, & rectificatum, & digereres obturato vase in balneo tepenti, per mensem vnum integrum: hoc persæcto solum extrahes per inclinationem & in aliud

Essentia argenti vini.

Soluitur perquam optimè in aceto suo superioris declarato, cap. de Stanni essentia, vel in oleo salis.

vas vitreum vel retortam vitream repones : magmati quod residet in soluto addes iterum nouum spiritum salis rectificatum , & vt prius digeres, donec solum mercurium sublimatum solutum habeas. Solutiones omnes in retorta collocabis & distillabis leuissimo calore , donec egressus sit omnis salis spiritus : vltimò augebis pedetentim ignem donec oleum subalbidum mercurij ascendat: feces quę remanent in fundo retortę eximendę sunt, & cum priori spiritu salis iterum coniungendę, donec iterum soluantur, solutęque distillandę erunt, donec omnes ascendāt in oleum album & feces nigrę remaneant in fundo retortę, quę violentissimo igne calcinatę candorem aliquem acquirunt, ex quibus tunc temporis potest, arte & methodo vulgari, sal fixum extrahi, idque depurari, depuratum oleo suo septies rectificato, & distillato, poterit coniungi, & seruari ad vsus in vasis vitreis per optimè clausis: hanc operationem non perficies nisi solutionem mercurij putrefacias in spiritu alchoolizato vini.

Vires & Vfus.

*Vires &
vsus essen-
tia mercurij.*

1. Purgat omnes humores præter naturam in corpore stagnantes, nulla molestia, nulloque vitæ, sanitatisque incommodo, imò cum earum maxima vtilitate; quia est vitæ peculiaris fomes, & perennis humidi radicalis fons, vnde reliqua omnia quę non sunt huiusmodi expellit.
2. Catarrhi materias omnes, & perennes fontes exsiccat, & exhaurit, propter eandem su-

periolem rationem.

3. Pallidos & fædos virginum colores pellit & fugat, quia suburram omnium humorum in vtero & stomacho stagnantium purgatione educit, sanguinem purificat, serososque humores ex eo depellit.
4. Ictericum omnem etiam curat, quia aperit, & hepatis roborat, calorem naturalem reparando & spiritus multiplicando, euacuatis è corpore frigidis humoribus, reliquisque omnibus quæ naturam calorem disperdere solent.
5. Luem Veneream funditus & radicitus euellit, quia totum humidum radicale ad minima vsque corporis penetrando depurat, ichores eius & putrentes humores depellendo.
6. Scrofulas & tumores omnes scirrhosos, frigidos & humidos dissoluit, & discutit, & vlcera omnia ad cicatricem laudatam conducit suo sale.

Sumitur in iusculis, vel ouo sorbili, vel reducit in pillulas cum mica panis, à quantitate guttarum quinque ad 6. & 7. manè, ieiuno stomacho, seruato regimine & custodia artis.

De quinta essentia Sulphuris.

CAP. IX.

Sublumari debet sulphur ex vitriolo ad rubedinem calcinato, bis aut ter, deinde septies sublimari ex sale communi decrepitato, & ad can-

Essentia sulphuris.

dorem summum calcinationibus, solutionibus, & euaporationibus deducto, mutato sale & renouato in singulis sublimationibus, donec sulphuris flos concendat albissimus. Hunc florem impones phialæ oblongi colli, obturato vasis osculo, in furno reuerberij igne mediocri, per mensem integrum, aut donec, peractis pedetentim ignis gradibus ne liquetur flos, flos acquirat colorem rubeum rubini instar: tunc oleo amygdalarum dulcium multoties rectificato, perfundes tuos flores, & digeres igne cinerum per quindecim dies, sæpissimè phialam agitando donec tinctum & coloratum sit amygdalarum oleum. Hoc separato aliud nouum & recens affundes floribus, & vt prius digeres, donec iterum coloretur oleum, & soluitur pedetentim, nullis iterationibus, totus sulphuris flos: tunc accipies peroptimum vini spiritum alchoolisatum, & coniunges æquali in quantitate oleo tuo amygdalarum tincto & colorato, & digeres ambo in cineribus tepidis, donec tingatur spiritus vini, & totam ex oleo amygdalarum extrahat tincturam sulphuris; quod fiet, mutato spiritu vini, postquam coloratus est, & recenti non tincto affuso: spiritus deinde vini tinctus & coloratus in balneo mariæ extrahendus est per distillationem; tinctura autem in fundo remanens in cineribus est extrahenda rubicundissimi coloris, quæ per retortam rectificata seruanda est ad vsus. Cum hoc deinde oleo, si flores sulphuris habeas rubicundos secundum præparationem superiorem, dissolues hos flores, & per rectifi-

cationem habebis maximam olei copiam odoris gratissimi, cuius virtutes inenarrabiles sunt, ut experientia ipsa quisque comprobare poterit. Sulphur etiam potest in aceto mercurij solui, & præparari ut metalla antea dicta, & simili methodo in essentiam reduci, & sic euadit in medicamentum summum.

Vires & usus.

- 1 Medicamentum est cardiacum summum, & venenosus animalium ictibus & moribus, in vulneribus venenatis, nihil prorsus fortius in veneno extinguendo, vulnusque agglutinando, propter salem suum dulcem, & solutum quem continet, qui est vitæ fomes, & humidi radicalis pabulum.
- 2 Hæcticis, phthificis, suspiriosis, & difficulter anhelantibus in genere subuenit, quia vlcera interna pulmonis sanat, & humidum radicale depastum restaurat, & calorem præternaturam extinguit, causa eius sublata.
- 3 Lepram recentem, & inueteratam, & confirmatam, si auro potabili connectetur certissime curat; qui renouat totum sanguinem, eumque depurat ab ichoribus, & putridis alijs rebus sanguini heterogeneis.
- 4 Doloribus arthriticis omnibus succurrit, & sola perunctione sedat suo sale rubeo soluto, anodyno, & balsamico, qui acres & mordaces humores dulces reddit, & nervos roborat & musculos, ad aucto & multiplicato partium naturali & vitali calore.

Vires & usus essentia Sulphuris.

5 Aurium tinnitus, dolores, & surditatem tollit, quia exsiccat serosos humores, tympanite laborantibus succurrit, & catarrhos omnes exhaurit, multiplicato calore naturali.

Sumitur à quantitate drachmæ semis, ad drachmam vnam in iusculis, vel restaurantibus, aliisque rebus roborantibus, manè, ieiuno stomacho: vel cogitur in pillulas, cum mica panis, & voratur eodem tempore, vel miscetur vnguentis & applicatur partibus affectis, calidè.

De quinta essentia salis Petra.

C A P. X.

Essentia salis Petra.

SALPETRA perquam optimè depurata, permiscenda est cum æquali quantitate salis communis decrepitati, & ad summum candorem ducti & imponenda retortæ, & in cineribus fortissimo igne, seruatis ignis gradibus, distillandus est eius rubeus spiritus, iuncturis perquam optimè clausis cum luto optimo, quia subtilissimus est hic spiritus, nec citò in aquam transit: itaque postquam finita est distillatio, relinquendū est recipiens collo retortæ iunctum & vnitum per diem integrum antequam disiungantur, vt mora illa, spiritus tandem fiat aqua, dum retinetur in recipiente: hic spiritus distillatus, super magma suum quod residet in fundo retortæ, septies est rectificandus, & à phlegmate suo per distillationem vindicandus. Tum demum coniungendus sali fixo extracto

ex ma-

ex magmate suo, ad summum depurato, & per artem dulcorato, & ad rubedinem deducto si ad perfectionem vltimam, arcanum deducere cupis. Hic spiritus tali sali connexus, virtutes æmulatur auri potabilis, quare sedulò seruandus est. Totum arcanum perficiendæ essentiæ salis petræ consistit in putrefactione eius; nisi enim putrescat eius occultum, manifestum fieri non potest. Sales autem putrescere non possunt, nisi dissoluantur cum spiritu eorum acido, & spiritui vegetabili coniungantur.

Vires & Vssus.

- 1 Renouat totum sanguinem, adeoque depurat vt intrà paucos dies totum hominum renouatum esse credas spiritu suo vitali & fixo, qui sympathiam quammaximam habet, cum nostro spiritu.
- 2 Canitiem retardat, quia humidum radicale à frigidis & serosis humoribus vindicat, qui ad cutem depulsi vt sint pilis nutrimento, albos nutriunt pilos.
- 3 Sensus omnes, tum internos, tum externos roborat, quia multiplicat spiritus internos, reparando humidum radicale & renouando.
- 4 Scabiem, impetiginem omnem, & reliquos cutaneos affectus promptissimè curat, suo sale, qui internum salem corruptum cutem excoriantem foras pellit, & dulcem facit, & ad temperamentum reducit.
- 5 Tophos omnes, & scirrhosos tumores, duros & frigidos melancholicos, qui impossibilis

Vires & Vssus essentia Salis petra.

sunt resolutionis discutit, & resoluit sola perunctione, suo spiritu soluto, qui lapidea omnia resoluit.

- 6 Lapidēs & calculos in vesica, & renibus, successu temporis, & sæpissimè vtendo tandem rumpit, & foras pellit, propter eandem rationem.
- 7 Arcanum est summum in curanda arthritide, & sedandis citissimè eius doloribus, quia eius spiritus soluit salis acrimoniam qui arthritidem constituit, & foras eijcit, neruolque deinde, & musculos, refouet, adaucto calore vitali partibus applicatur.

Sumitur à quantitate ʒ j. ad duas in iuculis vel aquis stillatitijs morbo appropriatis, & id manè, ieiuno stomacho; vel per se applicatur exterius cum gossipio, vel linteis, eo arcano madidis.

De quinta essentia Salis communis.

C A P. XI.

Essentia salis communis.

SAL commune decrepitandum est calcinatione & combustionione in tigillo, vel olla terrea fortissima, vt ignem pati possit, quam cooperies operculo aliquo terreo, ne inter calcinandum abeat in frustula dum decrepitat. Post-

quam decrepuerit soluendum erit aqua fontana limpida, & septies distillata: hanc solutionem filtro commissam, vt peroptimè depuratur ab omnibus terrenis excrementis, euaporabis ad siccitatem: salem iterum solues, & solutionem filtrabis, & filtratam euaporabis ad siccitatem tantum, & has operationes toties iterabis, quoties aderunt in solutione tua feces terrestres, quæ solui non poterunt, & aquam perturbant. Postquam autem abierint, salque tuus perquamlimpidus erit, & ferè dulcis, impones retortæ luto munitæ, & fortissimo igne (veluti in distillatione essentia Veneris factitatum est superius, capite quinto huius libri) spiritum extrahes quantum poteris, ad auctis ignis gradibus quantum fieri poterit: hunc spiritum rectificabis, & separabis à phlegmate suo, & coniunges cum pari pondere salis ex magmate suo in fundo retortæ permanso, extracti & ad summum depurati, donec soluatur vt cera vel butyrum leuissimo calore, & rubeum acquirat colorem & dulcedinem summam, & sic ambo coniuncta digeres in balneo, per mensem vnum, in retorta, obturato eius osculo, donec spiritus colorem acquirat rubeum, & extrahat salis sui tincturam & soluat cum solutione firma, & physica; tum demum distillabis, & omne volatile facies, & rectificabis, ter aut quater, & recondes ad vsus. Vt habeas absolutam salis essentiam, dissolue salem tuum optimè depuratum, in spiritu salis rectificati, & hoc omne coniunge cum pari quantitate

spiritus vini alcohol, & putrefac, & distilla, & purifica, & purum & homogenum coniunge simul & serua.

Vires & Vfus.

Vires & vſus eſſentia ſalis communis.

- 1 Præſeruat ab omni corruptione corpora omnia, tum viua, tum mortua, & eſt baſamum vulnerum omnium, & vlcerum, & vires antecellit baſami naturalis, quia ſal & ſulphur ſuum quæ baſamicam continent naturam puriora ſunt in hoc arcano, quàm in baſamo naturali: hinc etiam virtutes efficaciores, & potentiores habet.
- 2 Arcanum eſt ſummum in expellendo veſicæ, & renum calculo, & in agglutinandis colli veſicæ vlceribus, & renum, ſuo oleo, & ſale.
- 3 In apériendis hepatis, lienis, & viſcerum omnium obſtructionibus nihil eſt in medicina potentius, propter ſpiritum ſalis qui omnia reſerat.
- 4 Purificat omnino ſanguinem, ichores eius expellendo, vnde in curandis omnibus ſanguinis affectibus, febribus omnibus putridis nihil eſt efficacius: vnde lepram tollit, & ſucceſſu temporis curat, renouato ſanguine, & purgato ab omnibus eius ichoribus.
- 5 Scabiem omnem, lentigines, impetigines, ignem ſacrum, herpetes omnes, alióſq; cutis affectus, qui decorem humani corporis inficiunt, tollit & curat, propter rationem allatá.
- 6 Tumores etiam omnes externos, tum frigi-

dos, tum calidos curat; frigidos, duros, & scirrhosos sola perunctione discutit: calidos autem ad maturationem & suppurationem perducit breuissimo tempore.

- 7 Arcanum etiam est in curanda arthritide, & in sedandis eius cruciatibus, tophos & nodos dissoluit, neruos fouet & musculos, calorem auget naturalem, & spiritus multiplicat quoscumque.
- 8 Reparat humidum radicale ex quacumque causa depastum, vnde senectutem retardat, miro iuuentutis fotu, & canitiem depellit, & sensus omnes externos & internos acuit.

Sumitur à quantitate drachmæ vnus ad duas in iusculis, vel aquis stillatitijs cinnamomi, anisi, & imperialibus, quocumque tempore & hora, secundum necessitatem ægrotantium; in reparanda verò iuuentute, manè, ieiuno stomacho singulis diebus.

De quinta essentia Vitrioli.

C A P. XII.

VITRIOLVM depuratum ab omnibus suis heterogeneis excrementis, desiccandum est igne leui, in cupreo vase, spatula ferrea agitando, donec in puluerem album conuertatur: hic puluis imponendus est retortæ, luto perquamoptimo munitæ, & retorta plusquam dimidio plena in furno ad hanc distillationem apto collocanda est,

Essentia Vitrioli.

in medijs ignibus, & feruatis ignis gradibus distillandus est vitrioli spiritus, fortissimo igne, ita vt dum fumi albi egrediuntur, semper maneat candens retorta, ad finem vsque distillationis & cessent fumi omnes egredi. Recipiens oportet vt sit perquamoptimè iunctum collo retortæ ne respiret vilo pacto, ne exeant spiritus: hic spiritus egressus custodiendus est & seruandus in retorta obturato eius osculo peroptimè, dum habeas maximam quantitatem, repetitis distillationibus ex eodem vitriolo, donec non amplius exeant spiritus ex eo, per has repetitas distillationes, sed vitriolum ipsum quod in fundo remanet retortæ albissimum deueniat, relicto colore nigro, aliisque multis, antequam ad album deueniat: in singulis enim distillationibus magma quod residet, soluendum est aqua limpida, & clara, solum clarificandum, & filtro committendum, donec optimè depuratum sit à terrenis excrementis, quæ non soluuntur: solum deinde euaporandum, & in puluerem reducendum, & puluis hic distillandus fortissimo igne, vt dictum est; & sic repetita hac operatione vitriolum pedetentim amittit colorem cæruleum, & album induit, & depuratur summopere, ita vt in fine depurationis illius feces sint albæ, & supernatent solutionibus. Postquam autem tuum vitriolum depuraueris, & suo spiritu, & anima priuaueris, spiritus omnis egressus putrefaciendus est per digestionem lentam in balneo tepido, in retorta, per mensem vnum: eo peracto, distillandum est in balneo mariæ feruentis aquæ, quicquid poterit distillari humiditatis foetentis & putridæ; reli-

quum autem quod ascendere non potest, in fundo retortæ remanens, distillandum est per cineres, & septies rectificandum, seruatīs fecibus quæ relinquuntur in singulis distillationibus, in fundo retortæ, & salī albo priori connectendæ sunt, ut simul depurentur eadem arte, & methodo. Est enim depurandum solutionibus, desiccationibus, seu euaporationibus, aut distillationibus humidi soluentis, in retorta vitrea factis, donec sal colorem acquirat rubeum summum. Tum demum connectendum est suo spiritui rectificato, multiplici pondere, ut abundantia & copia spiritus soluatur sal, & spiritus extrahat tincturam suam, & volatilem faciat. Hæc demum omnia cum spiritu vini alcohol coniungenda sunt, & putrefacienda, & post putrefactionem depuranda, & ad tincturam rubeam conducenda. Hæc deinde tinctura cum paucō sale rubeo puro coniuncta, & leuissimo igne continuo fixata, & coagulata, est summum arcanum, & arcanorum omnium summum, cuius vires, virtutes, & proprietates experientia comprobabis ad omnes morbos.

Vires & Vfus.

- 1 Est theriacarum omnium summa theriaca: venena omnia, animalia, vegetalia, & mineralia fugat, & extinguit; quia eius mercurius, sal, & sulphur, quæ in sua compositione inueniuntur, perfectissimè depurata, & cocta reperiuntur, & plus quam in auro ipso, vnde & virtutes omnes auri ipsius superat & antecellit.

Vires & vfus essentia Virrioli.

- 2 Est cardiacorū, cephalicorū, hepaticorū omnium medicamentum præstantissimum, & superat omnia sublunaria medicamenta, & si hominem mori non oporteret edicto diuino, in perpetuas æternitates posse trahere vitam hoc arcano affirmarem.
- 3 Beatissimus est Medicus qui arcanum possidet tantum, est enim morborum omnium *πνεύρωσις* verum, & absoluta cura & medicina, in omnibus morbis cutaneis, & solutione continui quacumque, eo vti potest tutissimè.

Sumitur in iusculis, in ouis sorbilibus ad quantitatem drachmæ vnius, quacumque hora & tempore, secundum necessitatem morbi curandi: si tamen morbus det eligendi temporis copiam & facultatem, melius est manè, ieiuno stomacho, & præcipuè in conseruando ætatis & roboris flore.

*De spiritu viridi Vitrioli ad curam
Epilepsiæ.*

C A P. XIII.

Vitrioli spiritus viridis.

EX Vitriolo elicitur spiritus cæruleus & viridans, qui est arcanum epilepticum; sed in eo extrahendo est peculiaris, & summa industria; est enim ita procedendum: Vitriolum cum æquali pondere salis petræ indendum est retortæ luto munitæ, & retorta collocanda est in furno ad distillandam aquam fortem proprio & apto, & di-

stillanda est hæc aqua fortis, iuncturis optimè clausis recipientis & retortæ, ne exeant spiritus. Postquam distillata est hæc aqua, & dum adhuc rubet recipiens spiritibus aque fortis, seu salis petreæ, connectendum est subitò, & summa cum industria collo alterius retortæ, vitriolo desiccato, & puluerisato semiplenæ, & iuncturis optimè clausis, distillandus est vitrioli spiritus, qui dum egreditur in specie, & forma fumi albi, inuenit in recipiente spiritum rubeum salis petreæ, & se inuicem fixant, magno murmure, nubibusque multis per aëris vacui recipientis spatium volitantibus, & tandem soluuntur in aquam cæruleam, & viridantem, ponderosam summopere: hæc aqua deinde postquam per aliquot dies in ipso recipiente optimè clauso quieuerit, vt spiritus omnes in aquam transeant, imponenda est retortæ obturato osculo, & per mensem putrefacienda in digestionem balnei tepentis: tum demum distillanda per cineres, leuissimo igne, in qua distillatione primò egreditur spiritus cæruleus & viridans vitrioli, & stillant guttæ viridantes & cæuleæ. His cessantibus, mutandum est recipiens, & spiritus tuus in phialis optimè clausis seruandus ne respiret: alia verò aqua quæ remanet est aqua fortis, & ad fistulas, vlceraque mali moris curanda potest reseruari, postquam rectificata fuerit ter aut quater: & si spiritui vini rectificato connectatur & putrefiant simul & distillentur, summum efficies ex aqua forti medicamentum deobstruens & reserans omnia.

Vires & Vfus.

*Vires &
vfus spiri-
tus vitrio-
li viridis.*

- 1 Epilepticum est arcanum, curat omnes epilepsias, siue per sympathiam, siue per idiopathiam; quia roborat cerebrum summopere, & spiritus eius multiplicat, & exsiccat superfluum eius humiditatem, adaucto eius calore vitali: putrescere etiam humores in corpore non permittit, suo sale volatili.
- 2 Curat præterea lentigines, herpes, & scabiem omnem, sola perunctione, & fistulosa vlcera nullo dolore; quia eius sal qui residet in sua substantia dulcis est, nec villo pacto causticans & vrens.

Sumitur in aqua pœoniæ, vel in tinctura florum pœoniæ, ad quantitatem scrupuli vnus, manè, ieiuno stomacho, singulis diebus iterando dosim, per mensem vnum, & bis purgando corpus, sale vitrioli in eo mense, & sic fit absoluta cura cuiuscumque epilepsiæ.

De quinta essentia Marchasitæ aureæ.

C A P. XVI.

*Essentia
Marcha-
sita.*

MARCHASITÆ aureæ in puluerem reducta cum æquali pondere salis communis decrepitati & depurati, imponendæ sunt in retorta luto munita cum suo recipiente, iuncturis optinè clausis: inchoanda est distillatio, seruatim ignis gra-

dibus, donec exeant omnes spiritus sulphurei tum salis, tum marchasitæ in vas recipiēs, & fiant aqua acetosa valdè: his peractis magma quod residet in fundo alembici erit à sale vindicandum per lotionēs aquæ dulcis multoties iteratas, donec aqua saporem salis non habeat: marchasita sic depurata cum pari quantitate & pondere simili salis petræ erit connectenda, & vasi fictili fortissimo imponenda, & ignienda cum carbonibus, donec salpetra omnis abierit, & detonauerit, tunc iterum marchasita erit lotionibus aquæ dulcis, vt prius à sale vindicanda, & depuranda. Puluis deinde tenuissimus marchasitæ, phialæ oblongi colli impositus, obturato osculo luto optimo, in igne reuerberij, per mensem erit custodiendus, donec colorem rubeum acquirat; tunc auferes, & huic pulueri rubeo affundes suum spiritum, septies rectificatum, & digeres simul in balneo tepenti, donec spiritus coloretur, coloratum per inclinationem auferes, & nouum addes spiritum, ita vt quatuor digitis emineat, & digeres vt prius, donec coloretur: postquam totam tincturam habueris, digeres in balneo per quindecim dies; deinde distillabis per retortam ter aut quater, & oleum rubicundissimum ex his distillationibus egrediens, seruabis ad vsus, vnà cum suo spiritu, qui à phlegmate vindicatus facili negotio cum tinctura connectetur, & difficillimè separantur.

Vires & Vfus.

1 Arcanum est mirum in curandis scrofulis, vlceratis, & non vlceratis; resoluit enim durum,

*Vires &
vsus essen-
tia Mar-
chasita.*

& canrosum omne extinguit & mortificat, suo tenui spiritu, & sale volatili, qui residet in eius oleo, non est causticum & vrens medicamentum si rite præparetur, & intrà corpus sumi potest.

- 2 Purificat interius sumptum sanguinem, purgando eum à mucosis & serosis eius humoribus per sudores, & vrinas, calore centrali suo, qui in eius sulphure liquido, & in oleum verso, & sale latitat: hinc vitia totius sanguinis corrigit, & emendat.
- 3 Scabiem omnem tollit, & cutis omnes excoarationes, solo illitu exteriori; quia salitum humorem cutem excoarantem, dulcem facit, suo sale dulci, & oleo perfectissimè cocto.

Sumitur ad quantitatem guttarum decem in iusculis, vel applicatur exterius, & miscetur vnguentis, vel alijs oleis scabiei conuenientibus.

De quinta essentia Antimonij.

C A P. XV.

*Antimonij
essentia.*

ANTIMONIATAS, seu stibiatas potiones eliminant ferè omnes Medici Hippocratici ab eorum antidotarijs, quòd sint venenatæ, & sursum deorsúmque euacuent, non solùm humores peccantes in corpore, sed & optimos, & laudatos, non minima sanitatis fraude, sed cum ipso vitæ periculo; nihilominus tamen in nostrum Myrothecium Spagyricum eas admittemus, quæ modò

debitam & physicam subeant præparationem non venenatæ, nec hypercatharticæ reperiuntur, at benignæ admodum, & cardiacæ, ita vt non solum cathartica vis omnis ei auferatur, sed etiam omnis præter naturam qualitas, quæ nobis nocumêto esse potest, vt experientia ipsa fiet clarius; nã rationibus cõtendere nõ mihi in hoc opere necessariũ videtur, cum sciant omnes, mercurium crudũ qui inest antimonio totaliter & radicitus auferri à nostris præparationibus, & ideò nocendi omnis potestas & venenosa si quæ est, auferitur: quocirca ad præparationem nostram nos accingemus, sequenti methodo. Antimonium puluerisatur, in alcohol tenuissimum reducitur & permiscetur cum æquali pondere salis petræ, & in tigillo forti ad ignem ponitur, & comburitur, donec tota detonauerit salpetra, & in massam sanguineam & hepaticam reductum fuerit antimonium: quam massam tritam permiscebis denuo cum æquali pondere salis petræ & sulphuris, & iterum ignies, donec detonauerit sal petra, & remanet tunc temporis antimonium album & peroptimè calcinatum: hoc indes phialæ oblongi colli luto munitæ, & osculo vasis clauso, totum omne collocabis per mensem vnum in igne reuerberij satis magno, & potentissimo, donec antimonium rubeum adeptum fuerit colorem. Hoc coloratũ antimonium impones vitro, huicque affundes spiritum vini alcoholizatum, & depuratum à phlegmate suo, & digeres in balneo repenti, per octo dies, donec coloretur spiritus & tinguatur: tunc per inclinationem auferes, & nouum addes spiritum, digerendo vt prius, vitro clauso & obturato, ne inter digeren-

dum exeat spiritus vini, & euaporetur, hoc que toties repetendum, donec ab spiritu per vices affuso abstrahatur tota tinctura ab antimonio, quod iterum erit reuerberandum donec coloretur, & soluendum aceto acerrimo stillatio. Acetum autem erit euaporandum, & quod remanet in fundo multoties soluendum aqua rosacea multoties rectificata, donec nullas emittat feces in solutione, sed clarum remaneat omnino, & splendescat (veluti rubinus) quod omne sic limpudum & clarum, connectendum erit cum tinctura superiori, in oleum conuersa, sequenti methodo: Accipies tincturam omnem, & separabis per balneum id omne quod poterit ascendere per balneum, in retorta; retortam deinde transferes è balneo in cineres, & distillabis oleum rubicundissimum preciosissimum, quod rectificatum ter aut quater, connectes cum suo sale rubeo puro, & ab omni terrestri excremento vindicato, & seruabis ad vsus. Hoc idem & simile oleum, & tinctura eadem, & sal possunt extrahi ex floribus antimoniij fixatis, & reuerberatis, donec colorentur, & deinde procedendo, vt superius dictum est, at difficiliore negotio. Possunt ex antimonio multa alia parari medicamenta, vt vitrum ex quo pocula fieri possunt, quibus vinum infusum per quatuor tantum horas, catharticum est, nec poculum inde diminuitur, & tabescit, sed virtutes catharticas in perpetuas ferè seruat aternitates. Sed has ego improbo potiones, vt naturæ insensas, & inimicas, quod violentæ sunt. Parantur etiam

Antimonij perquam optima essentia paratur cum aceto Mercurij supradicti, & digeritur cum eo antimonium crudum, donec tingatur acetum, ex quo per distillationem cum spiritu vini rectificato perficitur vera antimonij essentia, natura humana verum & tutum confugium.

flores ex quibus formantur pillulæ, pro peste, & febribus omnibus; sed id omne improbatum, quod nimis violentum sit, & naturæ inimicum, quòd crudi multum habeat mercurij, cuius ope violentissimas excitat illas actiones, & hypercatharses: si quod ex antimonio citissimè præparato medicamentum à me probari mereatur, est sequens, quod fit ex vitro antimonij in alchool redacto, super quod effundatur oleum vitrioli non rectificatum ad eminentiam duorum digitorum, & per duos dies digeratur in balneo, aut in cineribus, donec nigrescat oleum: hoc oleum deinde separatim per inclinationem potentissimè purgat, per inferiora tantùm, sumptum ad quantitatem octo aut decem guttarum in iusculo, manè, servato regimine, & custodia: vel reducit in pillulas cum mica panis & deglutitur manè, eadem methodo servata, & regimine. Oleum hoc sic præparatum attrahit tantùm aliquid salis fixi antimonij, & fixat & coagulat perfectissimè mercurium crudum antimonij, itaque cessant omnes illius hypercatharses; vitrum enim remanens postquam lotum est, & desiccatum nullo modo purgat; at est sudorificum medicamentum, veluti pulvis albus antimonij per combustiones multas salis petrae iteratas factus, & flores ipsi postquam combusti sunt, & calcinati & fixati cum sale petra. Quod ego medicamentum sudorificum, valdè probo & laudo, cuius dosis est granorum duodecim ad viginti. Multa alia possent dici de antimonio, sed ea tanta sunt, quanta nemo mortalium ex-

yuzgat
 autismo
 gium
 diajdo
 ostium
 sic præ
 yadatum
 ad qvj.
 vuy. dit
 zjijij
 servato
 regimi
 ni
 custodia

cogitare potest, est enim flos totius terræ, & metallorum semen in eo.

Vires & Usus essentie Antimonij.

*Vires &
usus essentie
Antimonij.*

- 1 Hoc secretum non est catharticum medicamentum, sed roborans & restaurans ad eam naturam, ut si læsa sit, reparetur quàm citissimè, virtute balsami dulcis præsentis arcani.
- 2 Purificat totam massam sanguinis à mucosis omnibus & serosis humoribus, propter saltem suum solutum & dulcem, qui heterogenea alimenti remoti, & proximi fugat, deficcatur, & in fuliginem vertit, & adaucto calore naturali, per poros pellit ad cutem in sudores, crassum autem per vrinas.
- 3 Sic lepram curat, & in eo solo arcano consistit eius cura; reparat enim totum hominem, eiusque humidum radicale depurat, ita ut nullus lepræ detur locus.
- 4 Febres omnes intermittentes, quotidianam, tertianam, & quartanam, naturam roborando, & humores quoscumque coquendo, & mitigando, curat; coctos humores foras eijciendo, per cutis spiracula, reliquaque naturæ emunctoria.
- 5 Dolores omnes siue ex causa frigida, siue ex causa calida ortos quàm citissimè sedat, exterius tepide applicatum propter vim suam balsamicam, vnde arthritidem perfectissimè successu temporis curat, assumptum & admotum; quia catarrhos omnes sistit, salitum humorem dolorem causantem temperat & foras

foras educit, tophos, & nodos discutit, suo spiritu, vndè est in eo arthritidis perfectissima cura.

- 6 Sensus omnes acuit, calorem naturalem multiplicando, & spiritus animales refouendo, & multiplicando, quia subtilissimum & purissimum sanguinem generat, refocillatis omnibus naturalibus coctionibus.
- 7 Omnia principalia membra corroborat, vnde dolores eorum & pathimata omnia cerebri, cordis, ventriculi, hepatis, & lienis sanat, multiplicato eorum membrorum calore vitali, & humido eorum radicali quo viuunt depurato, & ab omnibus heterogeneis vindicato.
- 8 Vulnerum omnium est verum balsamum; perquamcitissimè enim ad cicatricem conducit, suo sulphure soluto & liquido, quod balsamum internum conuocat ad partem vulneratam, & vnà cum eo vulnus agglutinat.
- 9 Vlcera omnia cuiuscumque generis cauernosa, depascentia, & fistulosa, aliaque eiusmodi, imò & cancrum, & scrophulas ulceratas, breuissimo tempore sanat; quia salem solum acrem & mordicantem cutis illas apertiones & deformationes causantè mitigat, & dulcem facit, nec corruptionem pati finit.
- 10 Vteri omnes affectus tutissimè tollit, & fertilitatem inducit, causas omnes sterilitatis fugando, putà temperamentum frigidum, & supra nimis calidum: spiritus seminis adaugendo, & vlcera omnia vteri agglutinando, & temperando, & serosos omnes eius humores

euacuando, vterumque corroborando.

Sumitur ad quantitatem drachmæ vnius in iusculis restaurantibus, vel in aquis stillatitiis cardiacis, & imperialibus, & theriacalibus omnibus, omni tempore, & hora, secundum necessitatem morbi id postulantis, & præcipuè manè, ieiuno stomacho, si morbus det inducias.

De quinta essentia Arcenici.

C A P. XVI.

Arcenici essentia.

Arcenicum cristallinum cum pari pondere salis petræ coniunges, & in alchool tenuissimum omnia reduces, & indes retortæ vitræ fortissimæ, cui annectes recipiens satis capax, & amplum, iuncturisque benè clausis, igne cinerum distillabis, seruat is ignis gradibus, primo leuis, ultimo fortissimus, & violentissimus, donec exeant omnes Arcenici, & salis petræ spiritus: his egressis, & frigefactis vasis, recipiens disiungendum est à collo retortæ, & cauendo ab spiritibus qui intrò sunt, quia venenati sunt, ideò illico occludendum est cum luto fortissimo os recipientis, deinde frangenda est retorta, & quod in fundo est puluerandum est, & in nouam retortam inducendum, & supra illum puluerem retortæ inditum, spiritus arcenici retenti intra vas recipiens, sunt affundendi, & iterum distillandi, iuncturis optimè clausis, vt prius, idque ter aut quater repetèdum, donec arcenicum cum salpetra sit perquã optimè calci-

natum, tunc temporis adhuc tuum arcenicum forti
 tiglio impones, & per diem integrum dabis ignem
 fortissimum, ut quicquid in distillatione calcinari
 non potuerit, tandem aperto igne calcinetur &
 comburatur: calx illa arcenici aqua pluuiali stil-
 latitia est soluenda, & solutio à terrestribus ex-
 crementis depurata & vindicata, clara & limpida
 filtro facta euaporanda est & desiccanda, & ite-
 rum calcinanda fortissimo igne, donec nullas in
 solutione emittat feces, sed tota soluatur calx, &
 limpida & clarissima permaneat aqua, tunc temporis
 desiccanda est euaporata aqua, huic denuo af-
 fundendus est & connectendus eius spiritus su-
 pra reseruatus, sed prius oportet ut sit septies re-
 ctificatus: hanc coniunctionem facies in matra-
 tio, vase vitreo sic dicto, propter rotunditatem
 quam habet in fundo, & longum collum idque
 in balneo tepenti, donec calx suam biberit spiri-
 tum, tum demum in alembico vitreo, per balneum
 separabis quicquid poterit separari humiditatis
 aquosæ, & remanebit in fundo calx butyrosa
 Arcenici, miræ virtutis, quam seruabis in vasis
 vitreis optimè clausis.

Vires & usus.

1 Si calcem solam absque connexionem spiritus
 sui, repetitis solutionibus & depurationibus
 in calcinatione leui sæpius iterata, ad dulce-
 dinem summam reducere possis, & rubedi-
 nem summam, aut saltem albedinem, theria-
 cam habes contra omnia venena, tum ani-
 malium, tum plantarum, tum mineralium. Si

*Vires & u-
 sus essentia
 Arcenici.*

verò connectetur cum suo ipiritu, intrà corpus sumi non potest, propterea caue ab eius dosi interna.

- 2 Exteriùs applicatum valet contra morsus omnes venenatos, & citissimè rabidi canis morsum sanat & curat, turò & iucundè, absque vlla molestia, quia per causticam suam virtutem & adurentem, venenum parti inditum & ei aculatum comburitur, nec vterius rapit & serpit.
- 3 Cancrum absque vilo fere dolore extinguit, & mortificat, & ad cicatricem laudatam reducit, modò corpus & sanguis roboretur, & purificetur arcano antimonij superius declarati.
- 4 Fistulas omnes, & cauernosa omnia vlcera & depascentia curat & sanat, quia corrodit omnem carnem muscosam & spongiosam & fungosam vlcera fouentem, & abstergit, & humorem acrem causticat & vrit; vnde modò corpus perpurgatum sit, facili negotio vlcera seipsa fere ad cicatricem perducuntur laudatam per balsamù internum partis.
- 5 Herpetes omnes, scabiem, & cutis omnes asperitates & excoiationes desiccat, & sanat, imò & lentigines, & faciei maculas delet; at est in ea cura cautela adhibenda summa, sunt enim lentigines solæ & maculæ baculo leui & acuminato ea butyrofa substantia intincto tangendæ; deinde aqua fontana lauandæ, & postea oleo tartari tota facies coluenda, donec pedetentim cutis illa lentiginosa & maculosa auferatur, & in iurfureos atomos abeat.

Applicatur exterius per se, tepidè, vlceribus omnibus, vel miscetur vnguentis appropriatis, donec vlcera omnia ad cicatricem perducantur laudatam, per lotis vlceribus interdum vino optimo & oleo simul mixtis.

De quinta essentia Auripigmenti.

C A P. XVII.

AURIPIGMENTVM est species Arcenici, differt autem ab Arcenico, colore tantum & coctione. Auripigmentum percoctum est fortius in centro terræ, vnde sulphur eius, rubeum habet colorem à calore diuturniore: hinc etiam minus venenum est, quàm ipsum Arcenicum quod propter cruditatem sui sulphuris & mercurij potentissimum est venenum. Ex eius autem centro, educuntur multa medicamenta chymica, quæ venenata non sunt, at mitissima & naturæ amica, inter quæ est potissimum sequens. Auripigmentum puluerandum est & permiscendum cum duplo sui ponderis Salispetræ, & igniendum in tigillo, donec tota detonauerit Salpetra, & Auripigmentum sit perquamoptimè calcinatum, quod adhuc est igniendum in tigillo eodem per diem integrum, vt spiritus omnes auripigmenti exeant & abeant, cauendo interim ab his & dum calcinatur, & dum ignitionem patitur, quia venenati sunt. Frigefacto tigillo calx auripigmenti à Salepetra vindicanda est per lotiones multas

Auripigmenti essentia.

aqua limpida fontana factas, tum demum calx illa denuo pulueranda & cum pari pondere florum sulphuris, & Salispetræ iterum calcinanda, & ignienda in tigillo forti, donec albissimum habeat colorem. Lota tandem calx, & vindicata à Salepetra, reverberanda est per mensem vnum integrum in vitro clauso luto munito, in furno reverberij, donec colorem adepta fuerit rubeum, tunc quiescendum à reverberio, & calx rubea soluenda est cū spiritu salis, à phlegmate suo vindicato, in balneo tepenti donec tinguatur spiritus salis & soluat partem calcis: hunc spiritum tinctum separabis per inclinationem, & novum addes, donec tota calx soluta fuerit & in spiritum salis versa. Solutiones illas omnes vitro impones, hoc est retortæ, & dabis ignem cinerum, & pelles per distillationem leuem primo spiritum salis, tandem ultimo augendo ignem, stillabit tinctura rubicundissima auripigmenti quam recipies mutato recipiente, & septies rectificabis, & servabis, in phialis optimè clausis ad vsus.

Vires & vsus Arcani predicti.

Vires & vsus essentia auripigmenti.

- 1 Mirum est quod è summo veneno, fiat summa theriaca: ista tinctura certissimè quæcumque venena, & quascumque venenatas & pestilentes in corpore nostro latitantes qualitates extinguit, suo oleo, quod sulphur summopere coctum & depuratū habet.
- 2 Vires auri potabilis æmulatur in reparanda iuventute, & humido radicali, à causis præter naturam depasto, quod humidum suum

fit æquale nostro humido radicali in substãtia materiali & elementalì spermate.

- 3 Vulnera omnia venenata curat suo balsamo, quod peculiari quòdam sulphure quod continet, venenum omne extinguit, vnde etiam in febribus omnibus pestilentibus & contagiosis sanandis nihil commodius adhibetur.
- 4 Vlcera quoque maligna, & malæ qualitatis depascentia, cauernosa, fistulosa, cancrofa, & scrofulosa mirè curat, nullo dolore, quia humores illos malignos vlcus facientes extinguit, & mutat, & partem læsam restaurat, reparato illius humido radicali & depurato.

Sumitur cum iusculis à quantitate ʒ j. ad ʒ ij. manè, ieiuno stomacho, vel exteriùs applicatur, partibus læsis, per se cum gossipio, vel miscetur butyro, & tepidè applicatur.

De quinta essentia Rubini.

C A P. XVIII.

FRUSTULA Rubinorum seu granatorù accipies, & ter aut quater cù pari quantitate sulphuris, & salis petræ in tigillo ignies, & calcinabis, repetitis ignitionibus seu calcinationibus, donec puluis albilissimus sit: tunc lauabis tuum puluerem aqua tepida, & à sale vindicabis: puluerem tuum probè depuratum & desiccatum ignies, per duos aut tres dies in tigillo forti, hunc puluerem ita calidum, &

Essentia Rubini.

Melior solutio est cū spiritu mercurij arido.

igne candentem, si fieri potest, inijcies in vitrum spiritu salis rectificato plenū, pedetentim inijciendo tuum puluerem ne nimis ebulliat, & ebulliendo limites, & ora transeat spiritus salis, & effundatur: cessata ebullitione matratio indes tuum puluerē cum liquore suo, & orificio clauso digeres per quindecim dies in balneo bullienti, donec soluat puluis, qui si in prima digestionē totus nō soluat, effuso per inclinationem primo spiritu, affundatur necesse est nouus spiritus & digeratur vt prius, donec solutus fuerit totus puluis: has omnes solutiones vitro claudes, & digeres per mensem in balneo tepenti, vt melius soluat, & in aquam trāseat quicquid tempore breuiori solui non potuerit: deinde per retortam distillanda est aqua spirituosa salis: vltimò augendo ignem mutato vase, colligenda est rubini essentia rubicundissima, quæ si tota non ascendit, sed maneat aliquid in fundo retortæ quod habeat aliquid consistentiæ, iterum id omne dissoluendum est cum egresso spiritu salis, & per aliquot dies digerendo, & distillando per retortam, donec tota substantia rubini ascendat, quæ si benè non rubeat, cum nouis rubinis pulueratis connectenda est, & digerenda donec coloretur: tunc seruanda est ad vñs medicos in phialis optimè clausis.

Vires & vsus.

Vires & vsus essentia Rubini.

i Cardiacum est summum medicamentum, & aërem venenosum ac pestiferum fugat, à peste præseruat, & ab omnibus morbis venenatis & contagiosis propter suum salem dul-

cem, & summè temperatum & digestum.

2. Sanguinem summopere depurat, & emundat, ab omnibus eius vitiis, & hepar roborat, & omnia viscera interna, calorem vitalem & humidum radicale multiplicando, per suum balsamum nostro vniuocum & æquale.
3. Vires auri potabilis æmulatur, & valet ad iuventutem restaurandam, canitiémque retardandam, & melancholicos humores, & affectus, tristitias & angores omnes fugandos & depellendos per suum humidum radicale.
4. Valet exteriùs applicatum ad vulnera omnia curanda, & vlcera quæcumque, quia impedit humores à corruptione quacumque, & conuocat humidum radicale laudatum, & balsamum naturale, quo pars dissoluta breui tempore ad cicatricem & naturalem vnionem perducitur.

Sumitur in iusculis, à quantitate ʒ β. ad ʒ j. omni hora, & tempore secundùm necessitatem morbi curandi, vel applicatur exteriùs in vulneribus & vlceribus curandis tepidè, cum gossipio vel linteo, eo arcano nade facto, vel miscetur butyro, & perungitur pars tepidè.

De quinta essentia Smaragdi.

C A P. XIX.

SMaragdi puluerati connectendi sunt cum *Smaragdi*
pari quantitate falis petræ, sulphuris, & *essentia.*

In calcinatione smaragdi potest addialiquid cupri limari, sic cum metallis melius & fortius calcinantur lapides omnis generis, & eorum essentia fortior est.

Cum spiritu rectificato salis aut mercurij fiet optima solutio.

igniendi, ter aut quater repetita semper dosi salis petrae & sulphuris, donec peroptimè calcinati sint smaragdi: tunc demum aqua tepida perlimpida lauandi sunt, & sale vindicandi, totiesque repetenda est lotio, quoties gustu percipitur acrimonia & salsedo quædam. Puluis demum smaragdinus à sale vindicatus, qui inter lauandum fundum semper petit, hypostasis instar, desiccandus est, & per duos dies integros aut quatuor igniendus est igne continuo, & fortissimo, quantum fieri poterit, cauendo tamen ne materia vitrificetur, & in vitrum abeat: deinde soluenda est calx hæc, aceto acerrimo stillatio, donec tota abeat in acetum per repetitas effusiones aceti recentis stillatitij in puluerem qui fundum petit: hæc omnes solutiones sunt digerendæ per quindecim dies in balneo tepenti, in phiala vitrea optimè clausa: deinde euaporandum est acetum in vase argenteo aut vitreo: Salem qui remanet in fundo, depurandum præcipimus per repetitas solutiones cum optimo vini spiritu alchoolizato, & eiectionibus in singulis solutionibus filtro commissis, donec peroptimè candescat sal smaragdinus, & liquetur in calido, leuissimo calore, instar butyri aut cere, tunc demum connectendus est cum duplo ponderis spiritus salis communis rectificati, & à phlegmate vindicati, & cum pondere vno pulueris smaragdini recentis non calcinati, & simul in vitro omnia collocando, & orificio clauso digerendo, vt spiritus salis virescat, vt smaragdus: tunc demum per inclinationem euacuandus est spiritus salis tinctus & coloratus, & nouus effundendus, donec non amplius coloretur. Spiritus deinde tinctus & co-

loratus omnis distillandus leuissimo calore, donec remaneat in fundo retortæ tinctura smaragdi veluti mel spissa & densa, quæ demum erit distillanda, & seruanda in phialis peroptimè clausis ad vsus medicos varios stupendæ virtutis.

Vires & Vfus.

- 1 Visum defatigatum ex intuitu, solo aspectu, ad hunc mirandum arcani præsentis colorem restaurat ac conseruat, propter viridem suum colorem.
- 2 Omnes sensus acuit, & præcipuè visum quem maximè fouet & restaurat multiplicatis spiritibus animalibus, & calore vitali cerebri adaucto & multiplicato.
- 3 Omnes cerebri affectus & pathimata, & præcipuè epilepsiam, & lethargum rutissimè & certissimè sanat, quia cerebrum omnibus cerebri spurcitijs depurat & mundat, euacuatis omnibus serosis humoribus, & vaporibus atris dissipatis per suum spiritum æthereum vitalem aut vitali similem & vniuocum.
- 4 Dæmoniacas illusiones & melancholicas, & phâtasmatata omnia, & somnia melancholica, dissipat & auertit, propter eandem & similem rationem.
- 5 Hemitritæum sanat & curat, & reliquas febres intermittentes, quia humores putrentes in corpore & præcipuè bilem per insensibilem transpirationem educit sudoribus &

*Smaragdi
essentia vi-
res & vfus.*

vrinis, narcotico suo sulphure vitrioli & martis vniuoco & simili.

- 6 Manias omnes, & phrenitides domat & temperat, quia bilis vtriusque feruorem & ebullitiones edomat, & refrigerat.
- 7 Fluxus omnes ventris, dysenterias, & lienterias & diarrhoeas omnes, cum hepatico fluxu, & menstruis copiosioribus, cum ipsomet abortu prohibet, & compescit, propter salem & sulphur, quod continet ferri, salis, & sulphuris simile & æquale.
- 8 Ulcera etiam omnia phagædenica, & depascencia, fistulosa, & cancrofa ad cicatricem laudatam conducit breuissimo tempore, propter balsamicum oleum quod in se continet, ex sulphure suo perfectissimè cocto & summè depurato.
- 9 Venenosis animalium morfibus, & præcipuè canis rabidi summum est medicamentum ex sulphure suo & sale cardiaco.
- 10 Leprosi summopere conuenit, quia mirificè sanguinem depurat suo sale perfectissimè cocto, & puro, qui omnia sanguinis vitia delet, & corruptiones omnes impedit.

Sumitur à quantitate \mathfrak{z} j. ad \mathfrak{z} ij. in iusculis, vel ouis sorbilibus, vel in aquis imperialibus & theriacalibus stillatitijs, morbo curando conuenientibus, idque omni tempore, & hora, secundum necessitatem morbi curandi.

De quinta essentia Lapidis Magnetis.

CAP. XX.

Essentia ferri superius tradita, Capite suo peculiari, sumenda est, vt essentia magnetis integra, & incontaminata haberi possit, in eamque essentiam puram & limpidam, magnetem affundes pulueratum, & in alcohol reductum in phiala oblongi colli: orificiòque obturato in balneo tepenti digeres per noctes & dies quindecim. His peractis inpones retortæ, luto munitæ, & ad cineres distillabis, seruatis ignis gradibus, primò lentus erit ignis, medio mediocris, vltimò fortissimus: caput mortuum seu magma, quod remanet in fundo retortæ post distillationem eximendum est fracta retorta, & puluerandum, & in tigillo, fortissimo igne, & per diem integrum continuò calcinandum: tum demum fortissimo, & acerrimo aceto soluendum, & sal ex calce extrahendum est, & permultis lotionibus, & calcinationibus ad summum candorem perducendum, aut tandem ad maiorem perfectionem ad rubeum colorem, & solutionem facilem conducendum: hoc vltimò sal connectendum est cum essentia ferri, spiritu magnetis impregnata, & digerendum per tres aut quatuor dies in balneo tepido, & per balneum abstrahendum est distillatione quicquid poterit ascendere. Reliquum verò digerere oportet in igne

*Magnetis
essentia.*

*Magnetis
essentia ci-
tius fit, si cū
aceto mer-
curij, ferrū
soluatur, &
in illa solu-
tione depu-
rata, ma-
gnes soluen-
dus impona-
tur, & per
digestiones
varias ad
perfectionē
deducatur.*

leui & continuo, donec fixum sit omne, ita vt per distillationem fortem ascendere non possit, at in fundo vasis distillatorij maneat fusum, & liquatum tanquam metallum, aut Salpetra liquata, cuius humidum adeò ligatum est suo sicco, vt vi ignis separari non possit, nisi carbonibus immediate tangatur: hoc prædictum deinde arcanum summopere custodiendum est tanquam miraculosum in curandis vulneribus & sistendis omnibus sanguinis fluxibus, vt experientia certum fiet.

Vires & Vfus.

*Magnetis
essentia
vires & vfus.*

- 1 Ferrum quocumque modo ligatum ligno, & parietibus affixum violentissime ad se trahit, ita vt magicum videatur instrumentum, propter sympathiam quam hæc essentia cum ferro habet.
- 2 Cum hoc arcano artificium quod stupendum & miraculosum descripsimus in nostro Palladio spagyrico, capite quinto de calcinatione mineralium, perficitur, & stupendos vires effectus.
- 3 Dysenterias, Lienterias, diarrhoeas omnes certissime & tutissimè sanat & curat, propter adstringentem & stipticum salem quem in se continet qui catarrhos omnes sistit, & humores aquosos & serosos exsiccat & exhaurit, & propter oleum dulce, quod acrimoniam humorum temperat & emulcet.
- 4 Sanguinis etiam omnes excretiones, & eiectiones, hepaticum fluxum, & vulnerum

hæmorrhagiam ingentē & stupendam com-
pescit, & exsiccat propter eandem ratio-
nem.

- 5 Vulnera etiam & vlcera quæcūque agglutinat
& ad cicatricem laudatam perducit breuis-
simo tempore, propter oleum suum dulce,
quod virtutes balsami naturalis æquat, imò
superat, propter suam coctionem perfectam
& depurationem.
- 6 Spasmm & stupores omnes mēbrorum cu-
rat, quia spiritus animales multiplicat &
adaugēt, & calorem naturalem & vitalem
partim fouet & nutrit.
- 7 Hydropisim curat, quia serosos omnes humo-
res, & aquosos exhaurit & exsiccat sua sic-
citate, & in corruptionem abire non finit
propter salem & balsamum.
- 8 Splenicis summopere prodest, imò tandem
curat, propter eandem rationem, & quia at-
tenuat sanguinem & depurat, exhaustis
eius ichoribus & serosis humoribus corru-
ptis & putridis.
- 9 Alopeciam curat inuncto capite, quia calorem
naturalem & vitalem pericranij adaugēt &
fouet, & sic conuocat humores nutriendis
capillis idoneos & aptos.
- 10 Si domus fumigetur hoc arcano, omnia sus-
quedeque verti videbuntur; ita vt fugiant
omnes morantes in ea, quia fumus eius ad
cerebrum deuectus inebriat, & spiritus ani-
males adedò multiplicat & adaugēt vt cerebri
ipsius substantia, & oculorum tunicæ & hu-
mores subsulent.

Sumitur in quantitate modica, ad scrupulum nempe dimidium, aut ad guttulas decem aut duodecim in vino optimo, vel in aquis appropriatis morbo curando, idque manè, ieiuno stomacho; vel applicatur exterius per se vulneribus & vlceribus, & partibus dolentibus calidè, superpositis linteis, vel miscetur vnguentis, aut butyro, aut oleis & essentijs, & arcanis alijs morbo curando appropriatis, ad maiorem efficaciam: & sic stupendos videmus effectus.

De quinta essentia Margaritarum.

C A P. XXI.

Margaritæ in alchool tenuissimum redactæ soluendæ sunt aceto acerrimo stillatio multoties rectificato. Solutionem omnem in balneo tepenti per mensem integrum digerendam præcipimus, vt melius margaritarum dissoluatur compago: digesta materia per balneum distillanda est, reliquum verò euaporandum in scutella argentea, & siccandum. Siccatum iterum soluendum aceto acerrimo, & iterum euaporandum est omne huuidum, salque margaritarum qui remanet in fundo purificandus est, & sumopere depurandus, donec dulcis sit, & fundatur & liquetur facillimè sicut cera: tunc demum cum vini alchoole purissimo circulandus est per octo dies in vase clauso, deinde distillandus est ille liquor preciosus & coobando sublimandus est sal
margaritarum

margaritarum donec ascendat niue candidior & saccharo ipso dulcior, qui per se seruari potest in phialis optimè clausis, aut cum liquore aureo permisceri & seruari ad vsus miraculosos. Margaritarum essentia optimè fit in aceto antimonie quod extrahitur ex eius gummi quod stillatur ex sublimati & antimonij æqualibus partibus: gummi hoc in maximam aquæ fontanæ quantitatem proijcitur, vt in ea deponat acetositatem suam, quæ deinde per distillationem separatur, & ad coralla & margaritas soluendas conseruatur.

Vires & vsus.

- 1 Cardiacum est potentissimum & auri virtutes fere æquat, omnibus, morbis curandis adhiberi potest, quòd humidum radicale nostrum roborat, & depastum à causis præter nostram resarciat, suo oleo dulci perfectissime còcto & depurato.
- 2 In contracturis, resolutione neruorum, conuulsione, & phrenitide, omnibusque cerebri inflammationibus commodissime adhibetur, quia cerebrum mirificè roborat, spiritus vitales auget, & multiplicat animales.
- 3 Prophylacticum est Apoplexiæ, & vertiginis, & omnium reliquorum cerebri affectuum, quia roborat cerebri calorem vitalem summo opere, & omnes frigidos humores & viscosos ab eo expellit.
- 4 Contra calculum est singulare remedium, propter spiritum salis sui, qui coagulata omnia dissoluit & in aquosam vertit substantiam.

Margaritarum essentia vires & vsus.

- 5 Certissimum est præseruatuum contra paralyfim, & curatiuum, si bis in die sumatur cum vino optimo, aut spiritu vini propter rationes antea dictas & declaratas.
- 6 Fortificat humorem vitæ, & naturam in omnibus membris, vnde curat omnes fere affectus, aut saltem mitigat propter reparationem humidi radicalis.
- 7 Fætum in vtero mirificè roborat, & restaurat, vterúmque adeo roborat, vt ab omnibus eius affectibus continuò vtendo tandem liberet: sterilitatem præcipue fugat.

Sumitur à quantitate ʒ ß. ad ʒ j. in iusculis, vino optimo, spiritu vini, oëes sorbilibus, aquis stillatitijs cinnamomi, anisi, & imperialibus & theriacalibus, manè, ieiuno stomacho, & quocumque tempore & hora, secundum necessitatè morbi curandi.

De quinta essentia coralli rubei.

C A P. XXII.

Coralli essentia.

*Vtere loco
acetis com-
munis, aceto
antimonij &
mercurij &
videbis op-
tatum hoc
essentia acet-*

CORALLA minutissimè trita, & in alcohol, tenuissimum reducta, dissoluenda sunt aceto acerrimo, & digerenda in balneo tepenti per aliquot dies, donec repetitis solutionibus omnia coralla dissoluantur: tunc demum dissolutiones claræ & filtro commissæ euaporandæ sunt in vase argenteo aut aureo, ad siccitatem. Sal deinde soluendum aquis fontanis aut pluuiialibus stilla-

tijis, & purificandum euaporationibus, deficcationibus & solutionibus multoties iteratis, donec apprime mundetur & vindicetur ab omnibus terrestribus excrementis, & fundatur sicut cera, & dulce sit tanquam saccharum, & clarum tanquam crystallus: tum demum coralla de nouo sumenda sunt & pulueranda sunt, & cum pari quantitate salis ammoniaci connectenda, & simul sublimanda sunt, donec sal ammoniacus rubicundissimus ascendat, attracta secum tinctura coralli, quam separabis à sale ammoniaco, cum optimo vini spiritu alcoholisato, & ab omni flegmate vindicato, donec sal ammoniacus albus remaneat ex affusionibus spiritus vini, qui spiritus leuissimo igne abstrahendus per distillationem, & quod remanet in fundo erit connectendum cum sale superius præparato & dulcorato; & sic habebis salem coralli rubicundissimum, admirandas habens virtutes, seruandum in phialis optimè clausis ad vsus.

*tum mira
efficit solu-
tiones.*

*Sal fixus &
purus coral-
li acquirit
per se coctio-
ne longa co-
lorem ru-
bentem.*

Vires & Usus.

- 1 Huius arcani tanta vis est in mundificando & depurando corporis vniuerso sanguine, vt omnibus morbis & affectibus ex corrupto sanguine oriundis, exhiberi possit; quia ex suo sale id potest & tinctura, vnde leprosis summopere conuenit.
- 2 Sistit omnes fluxus muliebres immodicos in aqua plantaginis suo stiptico sale, & tinctura, vt & omnes ventris fluxus, & alios omnes sanguinis præter naturam.
- 3 Confortat & roborat cor summopere, & sto-

*Coralli es-
sentia, vires,
& vsus.*

machum, & calidum innatum restaurat, propter suum humidum, nostro humido ferè æquale.

4 Concretum sanguinem dirimit ex spiritu suo & sale soluto, qui omnia concreta dissolvit, vnde & calculosis, & sabulosis peroptimum est remedium in aqua ononidis.

5 Vulneribus venenatis & alijs simplicibus, & vlceribus omnibus summum est medicamentum, si balsamo alicui permisceatur, quia suo sale sanguinem mundante, & stiptico, cicatricem accelerat.

Sumitur à quantitate ʒ ß. ad ʒ j. in iusculis, ovis forbilibus, aquis morbo curando idoneis, & aquis theriacalibus & imperialibus: vel miscetur oleis balsamicis, & applicatur exteriùs, ad curanda vulnera, & vlcera, tepidè illinendo.

De quinta essentia lapidis Aquila.

C A P. XXIII.

Lapidis Aquila essentia.

LAPIDIS Aquilæ contusus & pulueratus connectendus est cum pari quantitate salis nitri & sulphuris, & in tigillo forti ad ignem fortissimum igniendus est, & per tres aut quatuor dies continuos in eo igne retinendus, donec optimè calcinetur & comburatur. Tunc demum à sale nitro per lotionem aquæ dulcis multoties iteratam calx est vindicanda, & huic calci probe lotæ & ad ignem deficcatae affundendum est in vitro acetum

acerrimum stillatitium, & vitro clauso digerendum est id omne per quindecim dies in balneo tepenti: tum demum euaporandum est acetum affusum in vitro magni oris, aut in scutella argentea; deinde post desiccationem iterum calcinandum est sal illud, in fundo remanens, & igniendum per tres aut quatuor horas; ignitum soluendum est aqua pluuiali stillatitia, solum filtrandum est vt probè depuretur, ab excrementis omnibus, filtratum euaporandum est, & desiccandum, desiccatum igniendum, & calcinandum vt prius, donec sal habueris probe purum & nitidum, sicut cera fundens, & dulce sicut saccharum: tandem sal illud limpidum & clarum, & ad hanc perfectionem deductum connectendum est cum spiritu vegetabili æthereo ex succo ononidis, aut saxifragiæ extracto, in balneo tepenti per duos dies, deinde seruandum in phialis optime clausis ad curam absolutam calculi, tum renum, tum vesicæ. Simili autem methodo poterit parari arcanum ex lapidibus calculorû microcosmi, ex lapide Iudaico, Lyncis, spongiæ, CrySTALLI & silicibus omnibus ad eodem vsus, at sufficit hoc vnicum arcanum ad viam & methodum aliorum præmonstrandam, si quis ex lapidibus prædictis habere cupiat, propter copiam fortasse horum lapidum, qua abundat vnusquisque in sua patria.

Vires & Vfus.

- 1 In omnibus calculorum generibus, in quibuscumque sint locis & membris mirè efficacis, sumendo singulis lunæ quadris, cum aqua

Vires & vsus essentia Lapidis aquila.

ononidis, summo manè, ieiuno stomacho,
 à quantitate drachmæ vnius ad duas: potest
 siphunculo injeci in vesicam ad calculum
 dirumpendum, & miros, & stupendos præ-
 stat effectus.

Potest eadem methodo extrahi quinta essentia
 ex omnibus aliis lapidibus, tum preciosis, tum
 aliis communibus, quorum virtus & efficacia cen-
 tupla multiplicatur, dummodo tenui substantia
 includatur: crassæ enim elementorum partes, vir-
 tutes & proprietates mixtorum obtundunt,

Finis libri tertij.



DE OLEIS
CHYMICIS ARTE
PYROTCHENICA
præparatis,

LIBER QUARTVS.

*De Oleo Rosaceo & Violaceo, Nymphaeae,
Papaueris, Hyoscyami, &
Mandragoræ.*

CAPVT. I.



LEA hæc omnia vna & eadem metho-
do præparari possunt quæ multò
potentiùs agunt, & efficaciores mul-
tò habent virtutes, quàm communi
& vulgari præparatione, quæ fit per
insolationem florum prædictarum plantarum in
oleum oliuæ infusorum, vnde meritò dici potest,
oleum oliuæ potius quàm rosaceum aut viola-
ceum. Quidquid enim ex floribus & plantis in

*Oleum Ro-
saceū, Vio-
laceū, Nym-
phaeae, &c.*

oleum oliuæ infusis relinquatur in prædicto oleo oliuæ, adeò paucum est & futile, vt hæc olea nihil habeant virtutis spectatæ. Ex floribus enim, foliis, caulibus, & radicibus plantarum, per istam infusionem & insolationem nihil expectatæ virtutis elici potest, quòd oleum oliuæ nihil recipere valeat, quòd non sit eiusdem substantiæ, & sibi homogeneum: oleum verò quod residet in ipsis plantarum substantijs, non ita facilè attrahitur ab oleo oliuæ per solam infusionem, in nonnullis saltem plantis, quibus valdè paucum est oleum, & humido aquoso adhuc inseparabili nexu commixtum. Ex aliis verò quibus est copiosum & turgeas, vt in seminibus nonnullarum plantarum extrahi, & attrahi quidem potest per oleum oliuæ, at cum illi permisceatur, diminutæ est semper virtutis, propter illam permixtionem. His itaque de causis methodum excogitauimus, quâ olea pura & integra, absque vlla permixtione ex omnibus plantis elici possunt, integro & inuiolato ipsius plantæ odore, & proprietate quacumque. Est autem methodus sequens. Ex gemmis rosarum, vel Violarum, Nymphææ, Papaueris, & Hyoscyami, vel ex collecta tota Mandragoræ substantia, siccis omnibus & aridis, replenda est concha, ad descensum propria, & ignibus suppositis extrahendum est quicquid olei potest extrahi, per combustionem & incinerationem omnium quæ in concha terrea, aut cuprea, aut ferrea reperiuntur. Oleum distillatum separabis ab aquâ fœtida, & empyreuma summopere redolente, & separatim oleum coniunges cum certa quadam quantitate vitrioli ad rubedinem calcinati, ita vt oleum ferè totum

imbibatur à calce, idque omne impones in retortam vitream luto munitam, & distillabis igne cinerum, seruatim ignis gradibus, donec totum oleum ascensum & distillatum sit. Quod si in prima distillatione totum empyreuma non deposuerit, calci iterum connectendum est, nouæ & recenti, & retorta iterum distillandum, donec omne deponat empyreuma, quod tertia saltem distillatione continget. Postquam autem deposuerit totum empyreumatis odorem, flores rosarum recentium (si sit oleum rosaceum) infundendi sunt in istud oleum, & insolandi sunt per quindecim dies, donec oleum, gratissimum rosarum odorem recuperauerit, qui odor multiplicari potest; per reiteratas infusiones. De Violis, Nymphæa, Papauere, Hyoscyamo, & Pomis Mandragoræ, eadem methodus seruanda est.

Vires & Vfus.

- 1 Oleum rosarum sic præparatum purum & putum est, & guttula vnica æquipollet, imò antecellit viribus libræ vnus, alterius communiter, & vulgariter præparati.
- 2 Inflammationes omnes, & stomachi ardores extinguit, propter sulphur narcoticum, quod in se continet, mediocriter frigidum, propter pinguedinem aquæ, & aëris quam præpollentem aliis elementorum pinguedinibus habet.
- 3 Roborat, densat, fluxionesque sistit, propter sale m stipticum, & astringentem quem continet, ex sale terræ.

*Olei Rosa-
cei, Viola-
cei, &c. Vi-
res.*

Oleum autem Violaceum, easdem ferè habet vires in ardoribus extinguentis, & inflammationibus omnibus, juuat vltra pleuriticos, pulmonisque vitia lenit propter catarrhos quos sistit, ex sulphure suo narcotico, & propter salem suum, qui ulcera abstergit & agglutinat; vnde balsami imitatur vires.

Oleum Nymphææ magis refrigerat, ardoremque præcipuè renum, vesicæ, & capitis, ætiam delirium compescit, accersitque somnum; quia suum sulphur magis narcoticum est: est autem tale, propter maiorem copiam pinguedinis aquæ, quam in se habet, quæ multò præpollet aliis elementorum pinguedinibus.

Oleum verò Papaveris, Hyoscyami, & Mandragoræ, omnia efficacius præstant quam Nymphææ oleum; quia adhuc hæc olea sulphur magis narcoticum habent quam prædictum, ex copiosiori aquæ pinguedine quam secum habent crudam & incoctam, vnde est calori vitali cõtrarium, eumque calorem vitale extinguit propter cõtrarietatem.

Sumuntur ad quantitatem guttarum decem aut duodecim interiùs; exteriùs verò ad quantitatem drachmæ vnius applicantur.

De Oleo Cydoniorum.

C A P. II.

*Cydoniorum
oleum.*

PAratur hoc oleum ex cortice, semine, & magmate, quod residet ex expressione succi:

cortices, semen, & magna colliguntur in maxima quantitate, & sole siccantur, & siccata concha cuprea aut ferrea includuntur, & per descensum distillantur ignibus superpositis secundum artem, vasisque dispositis secundum methodum descendendi communem & vulgarem: extrahitur oleum simul cum aqua; aqua separatur ab oleo, oleum rectificatur per retortam cum vitriolo ad rubedinem calcinato ter aut quater, singulis vicibus vitriolum mutando, donec foetorem omnem & empyreuma oleum rectificandum deponat: nec in hac rectificatione timendum est, quod oleum novas quasdam & peculiare acquirat proprietates, & virtutes ex connexionem vitrioli; quia vitriolum in calcinatione forti & violenta suos spiritus exhalavit, ita ut in hac rectificatione solum exeat oleum purum & mundum, retentis partibus terrestribus empyreuma redolentibus in fundo retortæ, vna cum calce vitrioli, quæ cum sicca sit, & arida valde, siccas illas olei partes combustionem sapientes secum rapit, & retinet. Quod si sint aliqui adhuc, qui hanc methodum non probent, & gaudeant solis puris oleis, modò non recusent laborem poterunt hoc oleum cydoniorum habere purum nitidum, nullo pacto foetens, & empyreuma redolens; si postquam per descensum distillarum fuerit, rectificent illud per retortam cum cineribus eorundem cydoniorum, tum pomorum, tum arborum, ad albedinem summam calcinatis, & vna cum oleo in retorta permixtis loco vitrioli, seruata eadem & simili methodo, cohobando ter aut quater prædictum oleum super recentes & novos cineres, donec totum deponat

fœtorem: huic deinde oleo connectenda sunt cydonia cortice, carne, & semine tufis, & permixtis cum prædicto oleo, in vase vitreo, ita vt oleum superemineat cydoniis vno aut altero digito: & vas clausum & obtusum insolandum est per quindecim dies: his tráfactis in vase cupreo omnia bulliant horis quatuor, aut donec humiditas omnis in fumum abierit: expressis tandem cydonijs, & ab oleo probe emunctis, in hoc oleo iterum succus incoquendus est, donec in fumum abeat, idque ter aut quater repetendum, & tandem vltimò seruandum est oleum summopere efficax, cuius guttula vnica, præpollet viribus libræ vnus alterius olei vulgariter præparati.

Vires & Vfus.

*Vires & v-
fus olei Cy-
doniorum.*

I Refrigerat summopere & astringit, ventriculo, iecori, intestinisque imbecillis accommodatum; hinc vomitum, alui profluuium, sudoremque illitu sistit, & cholericos omnes affectus curat, propter salem crudum & incoctum terrestrem quem secum continet.

Sumitur per se in ouis forbilibus, vel in aquis stillatitijs morbo appropriatis ad quantitatem trium aut quatuor guttarum, vel exterius applicatur permixtum alijs oleis communiter præparatis, vel miscetur vnguentis morbo curando appropriatis.

De oleo Myrtino.

CAP. III.

PARATVR hoc oleum simili methodo, ac via vt cydoniorū, ex myrti baccis, folijs, & trunco, in concham cupream ad descensum propriam impositis, & combustis, donec omne humidum siue oleosum & aquosum expressum sit per ignem, & infra concham demissum. Quod deinde separatum ab aquoso humore, rectificandum erit super tuos cineres ad albedinem calcinatos in retorta vitrea, donec totum deposuerit fœtorem & empyreumatis odorem, quod in tertia aut quaterna rectificatione contingit. Huic deinde oleo puro, & nitido & ab empyreumate vindicato myrtum floridum & recentem, contusum mediocriter infundes, & insolabis in vase vitreo peroptimè clauso, per quindecim dies: deinde digeres per quatuor horas in cineribus calidis, vsque ad ebullitionem, & exprimes, oleúmque sic mundum, & à magmate suo probè emunctum seruabis ad vsus.

Oleum myrtini vires & vsus.

Vires & vsus.

- 1 Refrigerat, astringit, & roborat, propriè verò cor, ventriculum, cerebrum atque nervos: vnde affectionibus calidis harum partium medetur summo cum adminiculo, & ægro-

tantium solatio, propter easdem & similes rationes quas retulimus de viribus olei cydoniorum.

Sumitur ad quantitatem guttularum trium aut quatuor in aquis morbo appropriatis & convenientibus, vel applicatur exterius per se, vel miscetur vnguentis refrigerantibus.

De oleo Mastichino.

C A P. I V.

*Mastichis
oleum.*

MASTICHA pura & munda colligenda est & ad quantitatem libræ vnus permiscenda est aquæ rosaceæ libra vnica, & omnia simul commixta indenda sunt retortæ vitreæ, & iuncturis optimè clausis cum recipiente collocanda est retorta in summo cinerum, & igne supposito, primò leui, secundò fortiori, vltimò fortissimo, & violentissimo, absoluenda est distillatio: oleum separandum est ab aqua, & cum aqua rosacea recenti & noua rectificandum est ter aut quater, mutando aquam rosaceam in singulis rectificationibus, donec omnem deposuerit fœtorem.

Vires & Vfus.

- I Corroborat ventriculum summopere, sale suo astringenti eodémque impedit corruptiones alimenti in stomacho, vnde lienteria succurrit, & omnibus alui fluxibus ex indige-

stione ventriculi prouenientibus, idque ad-
motum exterius & interiùs assumptum cum
succo limonum ad quantitatem guttularum
trium aut quatuor.

2. Defluxiones etiam capitis in partes inferiores
mirifice prohibet; quia suo balsamo cere-
brum corroborat, spiritus multiplicat, & ca-
lorem vitalem fouet, & suo sale exsiccatur hu-
midas excretiones: dolores quàm citissimè
vteri sedat.

3. Roborat etiam summopere hepar, & lienem;
vnde omnibus harum partium affectionibus
succurrit, & præcipuè hepatico fluxui, pro-
pter easdem rationes: eius adhuc vires mul-
tiplicari possunt si coniungatur alijs essentijs
& arcanis, superius secundo libro enumera-
tis, vt videre est clarius Capite 4. libri secun-
di, vbi de quinta essentia mastichis tractatur.

Sumitur exterius & interiùs, exterius applica-
tur per se tepide, regioni ventriculi, hepatis, & lie-
nis, ad harum partium affectiones curandas: ali-
quando miscetur vnguentis appropriatis & mor-
bo curando conuenientibus: sumitur etiam inte-
riùs ad dysenterias lieterias, & capitis defluxiones
exsiccandas & sistendas ad quantitatem guttarum
decè in succo limonù aut granatorù aridorum.

De oleo mentæ & absynthij.

C A P. V.

MENTA & absynthium verno tempore col-
ligenda sunt & postquam Sole siccata sunt

*Mentha &
absynthij*

*oleum vires
& usus.*

conchæ cupreæ aut terreæ indenda sunt, vt per descensum distillentur more & methodo cõmuni lippis omnibus & tonforibus notissima: Postquam combusta sunt, & incinerata ea omnia quæ conchæ distillatoriæ indita sunt, separandum est oleum distillatum ab aqua, quod reperitur in fundo vasis recipientis, & rectificandum est per cohobationes ter aut quater iteratas, super salem extractum ex cineribus plantæ ex qua oleum extractum est: si oleum sit ex menta, super salem ex cineribus mentæ extractum rectificandum est oleum, salem purum & nitidum in singulis mutando distillationibus; sic fœtorem demittet omnem & empyreumatis odorem. Potest etiam omne oleum qualecumque sit per descensum distillatum empyreuma redolens super calcem viuam rectificari, vt fœtorem deponat; nec timendum est vt à calce recipiat aliquid nocuenti, & extraneæ qualitatis, quia à calce nihil ascendere potest, propter firmam fixationem, quam sal & terra (quæ in calce resident) habent. Postquam autem oleum eiusmodi sic præparatum est, & ab empyreumate vindicatum, permiscendum est in phiala vitrea cum folijs recentis & virentis mentæ, si sit oleum mentæ; si verò sit absynthij cum folijs virentis & recentis absynthij permiscendum erit oleum rectificatum, & simul insolādum per quindecim dies, aut in cineribus mediocriter tepidis, & ad calorem solis accõmodatis digerendum per idem temporis spatium, vt odorem menthæ, & absynthij recuperet, deinde exprimēdum & seruandū in phialis optimè clausis ad vsus medicos.

Vires & usus olei menta.

- 1 Ventriculum summopere roborat, aliásque partes frigida qualitate aliqua marcidas: in senibus maxime conuenit ad concoctionem iuuandam ventriculi, & calorem naturalem propter sulphur dissolutum quod continetur in ipso oleo, quod modò aliqua ratione digestum sit, & mediocriter coctum, calorem naturalem & vitalem maximè fouet, propter sympathiam, & similitudinem substantiæ quam inter se habent.
- 2 Dolores arthriticos ex causa frigida ortos, lenit & sedat, stupores membrorum & paralyses etiam curat, frequenter illinendo, & tumores frigidos & scirrhosos, duros & difficillimè ad maturationem peruenientes discutit aut emollit, & ad suppurationem perducit propter allatas rationes.
- 3 Cerebrum etiam mirificè roborat, & facultates omnes animales copia pituitæ & humorum frigidorum abundantia sopitas restaurat, & ad vigorem summum perducit solo aurium & narium illitu, & temporum, propter easdem rationes.
- 4 Partes nimio frigore emortuas, & calore vitali ferè priuatas, solo illitu ad calorem naturalem perducit.

Sumitur etiam interiùs ad quantitatem guttarum decem aut duodecim cum aqua cinnamomi ad ventriculum frigidum refocillandum, & restaurandum.

Vires & usus olei Absynthij.

- 1 Corroborat ventriculum & concoctionem illius

adiuuat, & in eo appetentiam excitat, quia orificium eius superius ab omnibus frigidis humoribus & mucosis appetentiam deijicientibus vindicat, abstergendo, propter salem solutum quem in se continet.

2 Obstructa soluit omnia, vndè omnibus affectionibus ab obstructione prouenientibus succurrit assumptum, & admotum, propter salem illum solutum quem continet qui omnia referat & aperit, naturali sua virtute & efficacia.

3 Lumbricos enecat omnes, sale suo, qui putredinem illum lumbricorum patrem & originem impedit, humiditatem superfluam intestinorum, & ventriculi exsiccando.

Sumitur ad quantitatem guttarum decem, aut duodecim cum succo limonum, aut aqua portulacæ ad lumbricos enecandos, vel cum aqua fœniculi & asparagi, aut graminis, vel cum syrupis magistralibus ad aperiendum compositis, in deobstruendis visceribus omnibus.

*De oleo Iasmino, Anethino, Rutaceo,
Saluæ, Rorismarini, &
Thymi.*

C A P. VI.

Oleorū Iasmini, Anethi, Ruta, Saluæ, & Rorismarini, viues & vsus.

Olea hæc omnia possunt parari simili methodo ac via, ac olea menthæ, & absynthij superius præparata per descensum; nihilominus

tamen vt chymiaē artis copiam, & ingenij fertilitatem in excogitandis methodis variis ad idem scopum tendentibus ostendamus, methodum aliam in hoc Capite proponemus. Plantas has floridas & virentes accipiemus verno tempore, & conchæ cupreæ imponemus in frustula concisas, donec his tota repleatur concha: tum aqua fontana clara & limpida imponenda est, vsque ad medietatem conchæ: hanc deinde concham cooperies cooperculo seu capitello suo, ad distillandum per refrigerium apto, & accommodato, & iuncturis optimè clausis, impones tuam concham cupream, super formam in mediis flammis, & ignibus, aqua frigida capitello suo superimposita, & sæpissimè mutata per vices dum incalescit, dum aqua cum plantis conchæ distillatoriaē imposita ebullit, & sursum ascendendo stillat, vnà cum oleo quod forti ebullitione, ex plantis exprimitur in aqua, & sursum simul ascendunt simul commixta. Plantas has non simul omnes confusas in concham proijciendas esse censeo, quia non oleum purum esset vnus plantæ, sed commixtum ex multis plantis, sed singulas plantas seorsim esse reponendas existimo, & hanc post aliam esse distillandam: & oleum singularum ab aqua separandum post distillationem beneficio & ope infundibuli, quod oleum & aquam recipit, oleumque supernatat aquæ, & aqua per os infernum infundibuli primò egreditur, oleumque purum sic relinquitur, quod rectificatione non indiget, nec in nouis & virentibus plantis insolatione, quia empyreuma nullo pacto redolet, nec odorem plantæ amittit per hanc

distillationem, imò secum ita retinet, vt fragrantius multò redoleat quàm ipsa planta; hoc autem oleum copiosissimum haberi solet, si postquam aqua omnis & oleum distillatum fuerit, aqua egressa & distillata vnà cum oleo suo iterum affundatur herbis per foramen, in supernis conchæ partibus factum ad latera magni oris conchæ, quod capitello suo refrigeratorio occluditur, per quod vapores omnes ascendunt, & in capitello abeunt in aquam & stillant, per nasum capitello iunctum. Ad latus ergo istius magni oris, debet esse istud foramen (de quo est sermo) quod occluditur & aperitur, secundùm necessitatem & operis indigentiam. Per istud ergo foramen reponitur aqua, & oleum quæ stillant, ad oleum maiori copia extrahendum. Oleum etiam & aqua prædicta, si nouis & recentibus plantis in concham impositis iterum affundantur, copiosius multò stillabunt, quæ postquam distillata fuerint, & separata, seruanda erunt ad vsus.

Vires & vsus olei Iasmini.

*Vires olei
Iasmini.*

1 Oleum hoc sic præparatum multò efficacius est, quàm oleo illo Iasmino, quod in myropolij vulgaribus diuenditur, quod per macerationem florum Iasmini, in oleum Amygdalarum dulcium, vel oleum dulce oliuarum præparatur; nihil enim ferè habet virtutis, vt ipsa experientia testatur: at nostrum guttula vnica solo illitu, thoracis, renum, vesicæ, nervorum, articulorumque dolores compefcit.

2 Catarrhos sistit & exsiccat, humiditatem super-

Auam, suo sale soluto exsiccādo, & calorē naturalem refocillādo, suo balsamo, per sympathiam & similitudinem substantiæ quam inter se habent humidum radicale nostrum, & ipsum oleum; vnde etiā facultates omnes nostri corporis mirificè roborat, tum senio debilitatas, tum ex frigidorum humorū affluxu.

- 3 Vulnera & vlcera omnia agglutinat exteriùs illinēdo, propter balsamum suum & salem solutum, qui humorum corruptionē impedit, & corruptione impedita, vis balsamica olei, calorem naturalem conuocando, & humidum radicale internum, quod est vulnerum & vlcerum omnium verum & vnicum balsamum, vulnus & vlcus facillimè ad cicatricem laudatam perducuntur.

Sumitur ad quantitatem guttarum decem aut viginti, ad internos affectus curandos; ad externos verò, miscetur vnguentis cōuenientibus, vel per se applicatur, vt in vulneribus recentibus.

Vires & vsus olei Anethini.

- 1 Oleum anethinum tumores frigidos discutit illitu suo, quia calfacit & digerit, suo sulphure interno soluto, quod continet, quod vulcani & ignis naturalis vires æmulatur.

*Vires olei
Anethini.*

Cephalalgiam, neruorūque dolores lenit, & somnum cōciliat quod roboret facultates animales, neruorūque genus & membranarum fortificet, multiplicatis spiritibus, & roborato calore naturali.

Applicatur externis affectibus per se illinendo, aut permiscendo vnguentis morbo accōmodatis, &

*Dosis &
vsus olei
Anethini.*

sumitur ad curationem internorum affectuum
à quantitate guttarum decem ad quindecim in
spiritu vini,

Vires & Vfus olei Rutacei.

*Vires olei
Rutacei*

Potentius calfacit oleum rutaceum oleo anethino:
hinc crassos humores attenuat, flatulque discuti-
tit, & hinc etiam colico dolori, paralyfi, & spa-
smo succurrit, propter innatum suum sulphur
quod in oleo suo dissolutum est, quodque pos-
sidet subtilem & tenuissimum ignem.

Vteri etiã ac vesicæ perfrigerationi subuenit: hinc
sterilitatem à frigida causa ortam curat, exte-
riùs illinendo umbilicum, & interiùs assumedo.

*Vfus & do-
sis olei Ru-
tacei.*

Sumitur à quantitate guttarum decem ad duo-
decim cum vino optimo, aut aquis stillatitiis im-
perialibus aut theriacalibus, morbo conuenien-
tibus.

Vires & vfus olei Saluia.

*Vires olei
Saluia.*

1 Tot & tantas possidet vires, & facultates oleum
saluix, vt merito vulgo dicatur & circumfe-
feratur, *Cur moritur homo, cui saluia crescit in
horto*, excalfaciendo & mediocriter astrin-
gendo, exhaustos spiritus vitales & naturales
partium, à causis omnibus præter naturã, re-
staurat, & reparat, reparatõsque & reductos
continet, & ne pereant sua astrictione fouet
& coërcet: arcanum est pleuritudis omnis,
veræ & nothæ.

*Pleuritudis
arcanum.*

2 Hinc plurimum valet ad humidũ radicale par-
tium suo illitu reparandum, & motum earum

liberum & promptum cōseruandum, multiplicatis spiritibus, & aucto calore naturali, & fugatis humoribus serosis, mucosis, & frigidis.

3 Arthritidis est vera cura, paralyseos, & spasmi, & membrorum omnium stuporis, propter easdem rationes,

4 Facultates omnes cerebri potentissimè roborat: hinc sensus omnes acuit, memoriam, intellectum, & reliquos omnes sensus tum internos tum externos, exteriùs illinendo capitis futuras, tempora, & aures, & nares.

*Memoria
arcanum.*

Sumitur à quantitate guttarum quatuor ad octo, in spiritu, aut vino optimo, aut in aqua cinnamomi: exteriùs autem applicatur per se illinendo partes affectas, eas cooperiendo linteis calidis superpositis.

*Dosis &
usus olei
luis.*

Vires & usus olei Rorismarini.

Omnibus quibus inseruit, & prodest oleum saluię, prodest & oleum rorismarini, & præterea, dolori dentium succurrit, & quartanam curat, si post debitas purgationes, & humoris melancholici præparationes, tum assumptis apozematibus morbo appropriatis, tum vltimò balneo tepenti & calido, oleum istud rorismarini propinetur, ad quantitatem ʒ.ʒ. in aqua cinnamomi in principio paroxismi, & in lecto se continendo, exspectando sudores, & ferendo, quantum fieri poterit.

*Rorismar
olei vires*

*Quartana
arcanum.*

Ad curationem autè aliorum affectuum, sumitur eadē dosi, ac oleum saluię: & exteriùs eadē & simili methodo applicatur externis affectibus curandis.

*Rorismarini
olei dosis
& usus.*

*Vires & usus olei Thymi.**Thymi olei
vires.*

- 1 Orthopnoicis & difficulter spirantibus, phthi-
ficis summopere cōuenit, solo externo illitu,
quia thoracis poros aperit & dilatat; hinc ali-
quid semper exsudat humoris & fuliginis,
quod semper est ad pulmonis morū solatium
maximū: interiūs etiam assumptū hisdē affe-
ctib⁹ maximè prodest, quod humores crassos
attenuet, & discutiat ex interno suo calore.
- 2 Tineas ventris exigit ex sale suo soluto amaro,
qui corruptionem impedit, & animalcula ex
corruptione enata enecat.
- 3 Menses, partus, & secundas pellit, roborato vte-
ro, per illitum externum adaucto eius calore,
& roborata facultate expultrice vteri, ope
ignis sui.
- 4 Urinas etiam ciet conuocato sero humorum
omnium ad renes & vesicas, per calorem
quem in his partibus adauget.
- 5 Verrucas thymi colorem reddentes, & pensiles
tollit, quod humores illos frigidos & melan-
cholicos partibus, veluti terræ fungos adna-
scentes, innato suo calido dissipet, & robo-
ret partem, ita vt verrucæ alimento quoti-
diano & communi priuatæ decidant.
- 6 Visum hebetē apprimè acuit in potu sumptum,
quod cerebrum roboret, & spiritus anima-
les, humorésque frigidos in cerebro sta-
gnantes, spirituum animalium vigorem ex-
tinguentes dissipet, spiritibus suis, animales
amulantibus.

*Visus hebe-
tis arcanū.*

Sumitur in potu à quantitate guttarum sex ad decem cum aqua cinnamomi; & exterius per se applicatur affectibus externis curandis.

*Thymi olea
desis & v-
sus.*

De oleo Liliorum alborum.

C A P. VII.

FLORES liliorum alborum in maxima quantitate æstatis tempore colliguntur, & contunduntur in mortario lapideo marmoreo, & torculari exprimitur succus: succus expressus reconditur in phialis mediocriter clausis, & phialæ reponuntur in cellis vinarijs, vsque ad mensem Ianuarium aut Februarium, in quibus mensibus succus ille distillatur in alembicis vitreis, leuissimo igne, vt spiritus liliorum extrahatur qui primò ascendit & in capitello alembici strias facit, cessantibus strijs mutandum est recipiens, & aqua phlegmatica colligenda, donec magma habeat consistentiam mellis in fundo alembici, postquam magma omnia collecta fuerint, & alembico vnico reposita, his affundendus est spiritus primò distillatus, & cohobijs multis iterum distillandus, donec tandem prodeat oleum albissimum & fragrantissimum aquæ spirituosæ supernatans, quod per infundibulum separandum erit ab aqua spirituosa: aqua autem hæc spirituosa quater aut quinques rectificanda erit, in singulis distillationibus, colligendo tantum quod primò egreditur & ascendit, strias faciendo; reliquum verò quod ascen-

*Oleum liliorum
quo modo
fiat.*

266 *Myrothecij Spagyrici,*

dit, strias non faciendo, proijcere oportet, spiritum autem seruare & oleum, tanquam liliorum medicamenta efficaciora, possuntque simul vnâ dosi propinari ad varios morbos curandos.

Olei liliorum vires.

Vires & vsus olei Liliorum.

- 1 Thoracis dolores summopere lenit, quia humores frigidos in musculos thoracis, & partes carnosas delabentes, dissipat & coquit, musculósque roborat, & alias partes, suo mitissimo calore.
- 2 *Phthysicos solatium.* Suspiriosis & difficulter anhelantibus & phthisi affectis summopere etiam conuenit exterius admotum, & interius assumptum, quòd balsami naturalis vires æmulatur, vlcera agglutinando, & catarrhos sistèdo, humoresque crassos attenuando, hincque roborata thoracis expultrice facultate expectorationem humorum adiuuat.
- 3 *Arthritidos solatium.* Neruorum dolores sedat, & arthritidi cõuenit, propter allatas rationes, & tumores discutit frigidos & duros, reliquósque omnes, ad maturationem & suppurationem laudatam & breuem conducit.
- 4 *Cura venenati morsus.* Contra serpentium ictus, & reliquorũque animalium venenatos morsus maximè auxiliatur, solo calido illitu externo, ex vi sua balsamica quia vulneribus recentibus omnibus medetur.
- 5 *Dosis & vsus olei lilior.* Vuluam emollit, eiúsque duritias apprimè tollit ex eadem ratione.

Sumitur à quantitate guttarum decem in potu, cum suo spiritu, ad quantitatem drachmæ vnius,

maiolem & proutiorem efficaciam, & applicatur etiam externis affectibus cum suomet spiritu, lin- teis madidis & eo medicamento delibutis, parti- bus affectis superimpositis.

De oleo amygdalarum dulcium.

CAP. VIII,

OLEA chymica amygdalarum dulcium & ama- rarum, & similiarum fructuum omnium & semi- num quæ copiosam & abundantem suorum ele- mentorum pinguedinem habent, varijs possunt ex- trahi & separari methodis, vel per ascensum in cine- ribus, modò aqua fontana copiosa fructus & semi- na contusa perfluantur, & imbuantur, vt forti ebul- litione, vnà cum aqua infusa ascendat oleum di- stillandum, separandum per infundibulum ab aqua cum qua stillauerit. Potest etiam separari, & ex- trahi per descensum, & deinde rectificari & ab em- pyreumate suo purgari, methodo prædicta, & mul- toties decantata in Capitulis præcedentibus, & sic oleum purum & simplex amygdalarum & fructuum similiarum omnium & seminum habebis. Datur etiam methodus facillima alia, quæ nos excogitauimus, & publicè damus sequenti methodo, ad cuius si- militudinem omnia alia semina, & fructus omnes, qui cortice lignoso, & membranosa cute circum- teguntur, in olea chymica poterunt reduci.

Postquam amygdalæ dulces aut amaræ cor- tice lignoso, & membranosa cute purgatæ fue- rint & denudatæ, terantur & contendantur,

*Methodus
varia, qua
chymica
olea ex fru-
ctibus lig-
nosis, & se-
minibus o-
leosissimis
extrahi.*

*Methodus
qua extra-
hitur oleum*

*chymicum
amygdalar,
dulcium.*

& affusa modica aqua calida & bulliente, foueantur calidè & tepidè per quatuor aut quinque horas in vase æneo super cineres tepidos: deinde faculo conclusæ torculari & prælo premâtur, ad expressionem olei: oleum hoc expressum coniungatur & connectatur cum spiritu vini optimè à phlegmate omni vindicato, & simul digerantur in phiala optime clausa in cineribus tepidis per diem vnum: die transacto, distilletur spiritus vini superposito alembico phialæ in qua oleum vnà cum spiritu digeritur, leuissimo igne, ita vt non ascendat oleum amygdalarû; at in fundo phialæ remaneat, quod è phiala frigefacta permutabis in retortam luto munitam in æquali pondere sui ipsius, salis communis perquàm optimè calcinati, decrepitati, & per solutiones varias, & desiccationes, depurati ab heterogenteis & terrenis excrementis, Oleum hoc cõiunctum cum tali sale distillandum est per retortam in quam immissum est, fortissimo igne, seruatim tamen ignis gradibus, primò lento, deinde fortiori, vltimò fortissimo, quem gradum continuare oportet, donec habeas totum oleum sali tuo connexum, quod recludendum erit in phialis optime clausis, & seruandum ad vsus. Si empyreuma redoleat rectificandum est super nouum salem donec deponat omnem fœtorem,

Vires & vsus olei Amigdalorum dulcium.

Vires & proprietates olei chymici amygdalar, dulcium.

- 1 Arcanum summum est in curandis pulmonum & thòracis vitijs omnibus, tum assumptum, tum admotum.
- 2 Tumores omnes frigidos & scirrhosos discutit

& emollit, & continuata frictione & perunctione calida, ad maturitatem tandem perducit & pepasum, propter spiritum salis quem habet secum connexum, qui suum sulphur ad interiora perducit tumoris, & suo calore digerit.

- 3 Inflammationes omnes venenatas & pestilentes, quales sūt ex anthrace & carbūculo pestilēti, inunctione tepida cum aceto, & aqua rosacea moderat & lenit: imò venenum maxima ex parte extinguit, propter spiritum salis qui vitali suo calore omnia sibi contraria fugat & expellit.
- 4 Scabiem omnem, & cutis asperitatem propter eandem, & similes rationes exsiccat & lenit.
- 5 Lenitatē summam exteriùs cuti inducit, & scabritiem omnē expellit, propter sulphur suum pingue, & spiritum quem secum continet, qui aspera omnia dura & scabrosa emolliunt & dissoluunt, lepráque abstergunt.
- 6 Ad vermes & lumbricos puerorum enecandos summum est remedium interiùs assumptum, quia propter spiritum salis causam lumbricorum materialem & efficientem disperdit exsiccando, & animalcula illa suffocat, quia spiritu sulphureo & nitroso emori solent.

Sumitur hoc oleum ad quantitatem drachmæ vnus vel duarum in aquis appropriatis & convenientibus morbo: applicatur etiam exteriùs cum aquis plantaginis, rosarū, & aceto rosato, vnà non prædicto oleo permixtis, ad cutem perfricandam ad detergendam scabritiem, & cutis fere omne vitium quod cutem deformat.

De oleo lumbricorum terrestrium.

CAP. IX.

*Methodus
olei lumbricorum terre-
strium ex-
trahendi.*

LUMBRI CI terrestres loti, & à terretia spurci-
tie per lotionem ter autem quater iteratam,
probè emuncti, collectique verno tempore dum
sol signum Gemini ingreditur, aut Cancrum, per
descensum sunt distillandi & comburendi omni
ex parte, donec albescant cineres: super cineres il-
los rectificadum est oleum vna vice per retortam:
egresso omni oleo & collecto, & à sua aqua fa-
tenti separatim connectendum est cum æquali
quantitate petrolei, & in ea permixtione extingue-
da sunt frustula laterum igne candefactorum,
& in hisce candefactis lateribus totum imbiben-
dum est oleum, & lateres deinde comminuendi &
in retorta luto munita collocandi, & per gradus
ignis fortiter distillandum totum hoc oleum, quod
in lateribus imbibitum est: hoc deinde oleum cu-
stodiendum in phialis optimè clausis, & seruan-
dum ad varios vsus.

Vires & vsus olei lumbricorum terrestrium.

*Vires & vsus
olei lumbricorum.*

- 1 Attenuat & emollit & discutit humores frigi-
dos, vnde callos & scirrhosos humores dis-
perdit attenuando, propter spiritus salis quos
continet in se solutos.
- 2 Mirum est anodynum in sedandis & mitigan-
dis cuiuscumque arthritidis doloribus &
eruciatibus.

3 Lumbricos puerorum enecat sua innata & peculiari proprietate, quæ inest suo sali & sulphuri, quæ propter siccitatem peculiarem & insignem, humiditatem superfluum lumbricorum causam absumunt.

4 Fistulosi etiam vlcibus mirè prodest & doloribus eorum succurrit propter balsamicam eius substantiam, in sulphure eius & sale contentam.

Sumitur interiùs in enecandis puerorum lumbricis ad quantitatem scrupuli vnus cum oleo absynthij aut amygdalarum amararum, addito sacchari pauco: admouetur exteriùs partibus dolentibus calidè, superpositis linteis calidis & vlcera eo intinguntur superpositis emplastris cõuenientibus.

Vires olei lumbricorum.

De oleo simplici mellis.

CAP. X.

SVPERIORI libro 2. quintam essentiam mellis descripsimus, vbi acutissimus lector oleum istud animaduertere posset, & colligere methodum eius stillandi; nihilominus tamen, vt omnibus innotescat spagirica ars, & methodus extrahendi olea chymica simplicia: simplicia dico, quod sulphuream tantum coërceant secum substantiam; non admixtis alijs substatijs, mercurio & sale putà, quæ arcana cõstituunt chymica, & quintam essentiam. Nam oleum simplex chymicum alicuius mixti, non meretur dici quinta essentia, aut arcanum chymicum, cum sit pars tantum illius quintæ essen-

Methodus olei mellis simplicis extrahendi.

tia. Itaque adhuc in hoc libro, olea chimica simplicia describemus, quorum quintas essentias superioribus in libris tradidimus. Et ut amelle incipiam, eius accipite methodum: mellis sumite libras quatuor aut tres, & in vitream indite retortam luto munitam: adde deinde vitri in frustula contusi, aut lapidis marmoris, aut alicuius alterius silicis durioris lb ij. ponantur omnia ad distillandum, seruatigis ignis gradibus: primò lentus adhibeatur ignis, donec tota ferè exierit aquosa mellis substantia; augeatur deinde ignis, donec oleum exeat, & multiplicetur ignis donec excandescat retorta, & totum mel in cineres conuertatur & comburatur albos: tunc temporis exempto recipiente à collo retortæ, oleum separabis ab aqua: oleum rectificabis super cineres mellis combustos ad albedinem, combustis & calcinatis in vnaquaque rectificatione iisdem cineribus, donec oleum clarum & pulcrum exeat, & ab omni empyreumate vindicatum, quod in tertia aut quarta rectificatione fiet, sicque seruabis illud in phialis vitreis optimè clausis.

*Vires olei
Mellis.*

Vires & Vfus.

- 1 In podagra curanda, & omni arthritide nihil efficacius est, & præcipuè in sedandis & mitigandis eiusdem doloribus, propter solutos salis spiritus quos in se continet.
- 2 In vulneribus etiam curandis, & vlceribus præstantissimum est remedium, propter eisdem salis solutos spiritus qui balsamicam miram obtinent energiam.

Lapidem etiam vesicæ mirabiliter comminuit, iniectum per siphonem in vesicam; quia si aurum & metalla lapidesque omnes exterius & visu præsentibus, dulciter & naturali suo igne in primam reducat substantiam mercurialem; quidni etiam soluet in vesica tartareos lapillos, leuissima coagulatione spiritus salis concretos?

- 4 Tartaream omnem saburram è regione renum vsu frequèti depellit & foras eijcit per emuntoria vesicæ; quia suis spiritibus solutis totam sanguinis massam penetrat, & tartarea cuncta dissoluit, vnde & arthritidis & lapidis vesicæ & renum summum & potentissimum est medicamentum.

Sumitur interiùs ad quantitatem scrupuli vnus cum aquis morbo appropriatis & applicatur exterius vulneribus & vlceribus per se solum superpositis emplastris conuenientibus; aut permiscetur vnguentis idoneis, & applicatur.

Vsus olei
mellis.

De oleo Myrrha.

C A P. XI.

MYRRHÆ sumitur quantitas lb̄ j. huic pulueratæ & in cucurbitam vitream inditæ adde aquæ vitæ ab omni phlegmate vindicatæ ad eminentiam sex aut septem digitorum; stent in digestionem in vase clauso in cineribus tepidis per sex aut septem dies: his transactis abstrahatur aqua vitæ per balnuem mariæ; abstracta aqua ter aut quater

Methodus
lei myrrha

repetendo superinfundat oleo myrrhæ in fundo vasis distillatorij superstiti. Huic oleo deinde calido extinguenta sunt frustula laterum igne excandefactorum, donec totum bibant oleum: hinc contusi lateres indantur Retortæ luto munitæ, & vehentissimo igne distillentur secundum artem: egressum oleum rectificetur ter aut quater super cineres cupressi combusti, aut pini, donec empyreuma deposuerit oleum, huic deinde addendum aliquid myrrhæ electæ recentis, optimi odoris & igne tenui dissoluendum, & custodiendum & seruandum ad vsus varios quamplurimarum virtutum & potentiarum.

Vires & Vsus.

*Vires olei
myrrhæ.*

- 1 Balsami vires in magnis antidotis supplere potest; tenuissimū enim est & calidissimum calore naturali, hoc est potentissimum est in calore naturali refocillando, propter suum humidum temperatum.
- 2 In vulneribus & vlceribus consolidandis & cicatrizandis summe est efficax, propter balsamicam illam virtutem quam in sulphure suo & sale soluto continet & coërcet.
- 3 In retinendō fœtu & menstruis compescendis mulierum nimis copiosis, mirum est medicamentum, si eo vngatur vmbilicus & eo suffumigetur os vuluæ vel sumatur interius ad quantitatem scrupuli vnus, aut alterius in iusculo aut aqua aliqua conuenienti & idonea.
- 4 Fistulis lacrymosis oculorum cicatrizandis sum-

num est arcanum, curat enim sensim sine villo dolore.

5 Catarrhos etiam sistit & compefcit, tempota & nares vngendo & fumigando, propter astringentem miram & siccitatem quam sulphur suum & sal habent, & obtinent ex cruda eorum substantia.

Applicatur exterius vt reliqua olea balsamica vngendo & illinendo tepide partes affectas, & sumitur interius ad quantitatem scrupuli vnus aut alterius in aquis appropriatis, aut iusculis, aut in vino aspero.

*Dosis & q^u
susolei myr-
rha.*

Ad methodum hanc possunt referri distillationes omnium aromaticarum gummarum thuris & masticis, & similibus; possunt simili methodo in oleum conuerti summè efficax, cuius vires à medicis solis cognoscuntur & morbis adaptantur.

De oleo cinnamomi.

C A P. XII.

CINNAMOMVM in frustula cōtusum in retortā vitream indendū est, quam retortam deinde cinnamomo fere plenam collocandam præcipimus in balneo aquæ bulliētis, & tandiu in eo balneo retinendam quandiu aliquid stillare poterit preciosi cinnamomi liquoris, qui egressus supra nouum cinnamomū in frustula similiter cōcisum in retorta vitrea positum, affundendus est, & similiter distillandus aquæ bullientis balneo, vt triplicato aut quadruplicato liquore copiosius stiller, in hac distillatione quàm in priori, tertio iterum &

*Met.
faciēdi
namom.*

quarto opus iterandū est, affulo liquore egresso super nouum cinnamomū; & sic tandē copiosum habebis oleum, & aquam cinnamomi miram, & summe fragrantem, quæ omnia separatim custodies in phialis vitreis: non egent enim alia rectificatione.

Sic oleum piperis, cariophyllorum, macis, nucis moschatæ, & similibus stillare poteris, & ad vsus seruare varios.

Vires & vsus.

*Vires olæ
cinnamomi.*

1 Vires æmulatur omnino hoc, oleum balsami naturalis: imo præstat balsamo naturali in roborandis omnibus vitalibus visceribus, propter copiosum vitæ spiriū volatilē, dulcem, & coctum quem in se continet.

2 Memoriam & sensus omnes internos adeo roborat, vt si quis quotidie aut saltē ter in hebdomada sumat guttulas aliquas, memoria felicissima valeat, & sensus alios habeat expeditissimos; quia multiplicat spiritus vitales, simili sua substantia.

Cura frigidorum.

3 In refocillandis frigidis, & maleficiatis hominibus sumopere valet, propter copiā spirituum quos generat, qui partes generationi dicatas excalfaciunt & spiritu & semine implent.

4 Prouocat & excitat menses muliebres, & partum: hinc ad facilitandum partum nihil est potentius, si eo vmbilicus perungatur, aut eius liquoris sumatur scrupulus vnus, in vino, aut in eius aquæ cochleari vnico.

5 Cor & cerebrum sumopere exhilarat, & ab his pestilentes auras & venenatas fugat, vnde in peste præseruatium est.

Sumitur in iusculis, in vino optimo, in aquis imperialibus, & præcipuè ad maiorem efficaciam cum aqua sua simplici superius cum eo egressa & stillata, ad quantitatem guttularum decem, aut scrupuli vnius: applicatur etiam exterius in educendis secundinis & partuum citò educendo fœtu, & vulneribus malignis, & putridis vlceribus curandis.

Dosis & usus olei cinnamomi.

De oleo seminis ebuli.

CAP. XIII.

NONNYLLI chymicorum conclusum semen ebuli in ahenum aquæ bullientis plenum conijciunt, vt hac ebullitione spumam oleosam emittat aquæ supernatantem, quam cochleari colligunt & vitreo vase clausam seponunt in hypocausto, aut in aliquo loco calido & tepido, vbi spuma pedetentim in oleum abit viride pulchri coloris, quod seponunt ab aquoso humore, & custodiunt, pro seminis ebuli oleo: Alij verò subtilius procedunt. Semen contusum in alembicum vitreum aut retortam vitream indunt, & ponunt in balneo bullientis aquæ ad distillandum, & quidquid stillat aquæ & olei simul, iterum super nouum semen ebuli contusum in noua retorta positum affundunt, & sic iterant opus donec copiam habeant olei quod separant ab aqua, per infundibulum & custodiunt.

Methodus eliciendi olei seminis ebuli.

Vires & Usus.

I Anodynum est summum in mitigandis podagre & omnis arthritidis doloribus balsamica sua virtute.

Vires olei seminis ebuli.

- 2 Serosos & pituitolos expurgat humores è ventriculo & intestinis, si eius scrupulus vnus aut alter sumatur in iusculo tenui.
- 3 Hydropicos curat frequenti suo vsu, propter expurgationem pituitosi humoris quam potissimum expurgat, propter mercurialé substantiam quam obtinet.
- 4 Hepar roborat si exteriùs eius regio eo perungatur propter suum sulphur quod secum continet, & vitæ spiritum copiosum quem habet in mercuriali sua substantia.

Dosis & vsus olei seminis ebulli.

Sumitur in iusculis, & potentissimè agit & purgat, si sumatur in spiritu tartari, aut cum cremore tartareo: dosis eius est scrupulus vnus aut alter.

De oleo Succini, seu Carabes.

C A P. XIV.

Modus faciendi oleum succini.

Facilius stillat per se solum nullis alijs rebus additis, nisi moderatissimo ignis gradu.

SVCCINVM, seu Carabe in oleum reducitur si contusum in frustula, non in puluerem indetur in retortam satis magnam, cui addatur spiritus vini ab omni phlegmate vindicato satis magna quantitas, vt supernatet tribus aut quatuor digitis. Ponatur deinde retorta in digestionem per quatuor aut tres dies in balneo, aut in cineribus tepidis; distilletur deinde per balneum spiritus vini: egresso spiritu, mutetur retorta è balneo, ad cineres, & ibi gradatim distilletur quicquid distillari poterit. Peraçta distillatione, omne quod distillatum erit rectificetur super salem purum & viti-

dum tartari, calcinando in vnaquaque distillatione salem tartari, ad auferendum empyreuma quod in sale relinquitur ex rectificatione & distillatione olei succini, quod cum empyreuma omne deposuerit per illas rectificationes, custodiendum est; sal verò quod satis copiosum ascendit in prima distillatione, potest per substantiam rectificari, & rectificatum in oleum immitti, ad maiorem efficaciam, vel vnà cum oleo suo semper rectificari, donec tandem in oleum abeat, cum ipsis rectificationibus, sic enim pederentim fit oleum, & mutatur in illud, & sic expoliatur ab excrementis fuliginosis quibus scateret, & turget.

Vires & vsus.

1. In omnibus morbis capitis & cerebri curandis nihil est præstantius & efficacius, & præcipuè in Apoplexia, epilepsia, stupore, paralyti, alijsque similibus affectibus euincendis nihil potentius reperiri potest.
2. Vterum summopere roborat, vnde sterilitati medetur, mentes prouocat, secundinas & partu, suffocatione & vteri strangulatum tollit.
3. Dolores dentiũ mitigat, & alios omnes ex causa frigida ortos, propter suum sulphur solum calidissimum quod secum habet.
4. Catarrhos sistit & desiccatur ex eadem ratione, & tinnitus aurium aufert, & surditatem.
5. Omnia principalia membra cerebrum, cor, & hepar spiritu suo viuifico quem continet mirifice reficit, vnde animi deliquijs medetur, pesti fugienda summum est remedium.

*Vires olei
succini*

*Dosis eſt v-
sus olei ſuc-
cini.*

Sumitur in iufculis & aquis morbo appropria-
tis, ad quantitatem ſcrupuli vnus ad ſummum; &
applicatur exteriùs oleorù reliquorù inſtar, vngé-
do & illinendo partem affectam dolore aliquo.

De oleo Sacchari.

C A P. X V.

*Modus eli-
ciendi olei
ſacchari.*

SACCHARVM reduceitur in oleum, ſi contuſum,
& pulueratum, æquali quantitati filicum pul-
ueratorum aut vitri puluerati permisceatur, & Re-
tortæ vitreæ luto munitæ imponatur, & diſtilletur
fortiſſimo igne, ſeruais ignis gradibus: primò
lentus, deinde maior, vltimò maximus & fortiſſi-
mus adhibeatur ignis, donec omnis liquor egreſ-
ſus ſit, qui rectificandus eſt ſuper mediam partem
capitis ſui mortui optimè calcinati, & in calcem
albiſſimum reducti, vt deponat omne ſuum empy-
reuma, quod in prima diſtillatione habebat: id au-
tem deponit in quarta, aut quinta rectificatione,
modò in ſingulis rectificationibus caput ſuū mor-
tuum, ſuper quod rectificatur, comburatur, & cal-
cinetur. Poſtquam autem puritatem obtinuerit, &
empyreuma depoſuerit cuſtodiendum erit ad vſus
varios.

Vires & Vſus.

*Vires olei
ſacchari.*

- I Balsamum eſt potētiffimū in curandis omnibus
vſceribus & vulneribus, ex ſpiritibus ſalis bal-
ſamici dulcis ſolutis, quos in ſe coërcet.

- 2 Anodynum etiam summum est in sedandis doloribus qui insunt vulneribus & vlceribus, propter copiam spirituosæ substantiæ quam habet.
- 3 In fistulis curandis, malignis vlceribus, cancro, & similibus nihil est efficacius; reparat enim humidum vitæ deperditum, & salem contra naturam extinguit, suo sale dulci; & specifica sua virtute, & sua signatura.

Sumitur interiùs ad quantitatem ʒß. in iusculis, cum aqua cinnamomi, & similibus morbis curandis appropriatis. Et applicatur exteriùs, & miscetur vnguentis, & emplastris vlceribus conuenientibus.

*Dosis &
usus olei
sacchari.*

De oleo Lappa maioris.

C A P. XVI.

Lappa major exsiccata, in distillatorium cupreum, aut terreum descensorium imponitur, & fortissimo igne distillatur, donec tota humiditas exierit, & corpus lappæ conuersum sit in cineres, albi coloris, super quos in retorta vitrea, aut terrea rectificabis oleum omne quod egressum fuerit, & distillatum per descensum: deinde, iterum rectificabis super calcem viuam, ter aut quater, donec fœtorem omnem & empyreuma, quod in distillatione prima acquisierat, deposuerit: tum demum cum floribus lappæ recentibus macerabis in vitro clauso ad solem, per dies

*Methodus
olei extra-
hendi ex
lappa ma-
iore.*

quindecim: his tranſactis in balneo feruenti diſtillabis, & cuſtodies ad uſus ſuos in vitro mundo, optimè clauſo.

Vires & uſus olei Lappa maioris.

*Vires olei
Lappa.*

- 1 **P**otentiffimum eſt remedium in erumpendis & frangendis veſicæ, & renum calculis, propter ſpiritus falis ſolutos quos continet.
- 2 **V**itia omnia renum & veſicæ, quæ ab arenulis, tartaro, & calculis proueniunt potentiffimè ſanat, propter ſummam aperiendi vim quam habet ex falis ſui ſpiritibus.
- 3 **S**cirrhus internus hepatis, & lienis emollit, & frangit, & externos etiam adhuc valdè potentiùs ſolo ſuo illitu propter allatas rationes.
- 4 **D**olores etiam arthriticos citiffimè compeſcit, & emulcet, ſuo illitu, quia diſſoluit tartareas omnes ſubſtantias, quæ in arthriticis affectibus cauſa ſunt materialis doloris.

Sumitur ad quantitatem drachmæ ſemis, in aquis, aut decoctis morbis curandis appropriatis & conuenientibus, vel in ſpiritu vini, vel in iuſculis herbis lithontribis alteratis admifcetur, & propinatur, ſerò & manè, & omni tempore, modò ſtomachus ieiunus ſit, & digeſtio facta ſit.

De oleo Hellebori nigri vel albi.

C A P. XVII.

RAdices Hellebori vtriusque mense Octobri collectæ, abluuntur perquam optimè vino optimo, & exsiccantur sole: & exsiccatæ ponuntur in descensorium, ad distillandum fortissimo igne, vt comburantur radices hellebori, & cõuertantur in cineres albos, & interim inter comburendum egrediatur quidquid est in radicibus olei & aquæ: oleum separandum est per infundibulum ab aqua, & rectificandum est super cineres, perquam optimè calcinatos, donec deponat omnem fœtorem, & empyreuma, tunc demum oleo cinnamomi, aut anisi connectendum pari in quantitate, & seruandum ad vsus.

Vires & vsus olei Hellebori.

I Hoc oleum mirum est arcanum in expurgandis omnibus humoribus præter naturam in corpore existèntibus, & qui habent præ manibus non opus habent rheubarbaro, agarico, fenna, & aliis medicamentis quæ è lóginquis terræ plagis magno precio adferuntur in hominum sanitatem: benigna natura est vbi posuit malū, ibi remedium nasci fecit; at incuria & ne dicam incitia medicorum, quæ præ oculis Deus & natura posuerunt ignorantur, & longinquæ quærentur magnis expensis.

*Methodus
extrahendi
Hellebori.*

*Vires olei
Hellebori.*

- 2 Arcanum est summum in quartana curanda, & febribus omnibus intermittentibus propter cruditatem mercurij sui, salis, & sulphuris, quæ cum cruda sint, crudos & incoctos similes humores in corpore nostro stagnantes attrahunt, & foras euocant.
- 3 Perfectissima catharri cura in eo arcano consistit, & omnium defluxionum propter allatas rationes.
- 4 Sanguinem mundificat, naturalem virtutem conseruat, principalia membra, imò vniuersum corpus, ab omnibus futuris ægri tudinibus, & morbis vsque ad terminum à Deo constitutum præseruat; quòd humores omnes crudos, & qui humori vitali contrarij sunt, foras euocet.

Sumitur à quantitate guttarum decem ad duodecim in aquis appropriatis, & morbo conuenientibus, vel in iusculis, aut in ouo sorbili, seruato regimine, & custodia artis, vt in alijs medicamentis purgantibus; vel miscetur syrupo rosarum solutiuo, aqua cinnamomi permixta, & fit potus gustui gratissimus qui tutò, citò, & iucundè purgat.

De oleo Thytimali, & Latyris.

C A P. XVIII.

*Methodus
extrahendi
olei ex Thy-
timalo &
Latyre.*

Thytimalus, & Latyris colliguntur verno tempore, & exsiccantur sole aut vmbra, & ponuntur in descensorium ad distillandum vt for-

tissimo igne quicquid est olei, & aquæ egrediatur & comburantur folia, truncus, & radices in cineres albissimos, super quos rectificandum est oleum, donec deponat omnem fœtorem sui empyreumatis, quem in distillatione descensoria contraxit: hunc autem fœtorem deponit, si in singulis rectificationibus cineres permutentur, aut fortissimo igne calcinentur, vt empyreuma olei relictum in cineribus calcinetur & comburatur in cineres albos: hoc oleum deinde nullius fœtoris, permiscendum est cum pari quantitate olei anisi, & seruandum est ad vsus.

Vires & vsus olei Thymali, & Latiris.

- 1 Hoc oleum potentissimè purgat, serosos quoscumque humores & foras educit, propter cruditatem sui mercurij, crudi & incocti, qui similes humores in corpore stagnantes attrahit & secum ducit.
- 2 Hinc conuenit admodum arthriticis omnibus morbis, capitis defluxionibus, catharris exsiccandis & exhauriendis.
- 3 Exteriùs etiam valet ad scirrhosos tumores emolliendos, herpes enecandos, aliâque similia cutanea vitia, quæ cutem asperitate deturpant; quia suo sale dulci, quem in suo balsamo continet, aliis acribus salibus qui insunt talibus vlceribus, acredinem & acrimoniam aufert.

Sumitur ad quantitatem ʒ ß. in ouis sorbilibus, aut syrupis violaceis, & rosaceis solutiuis, vel guttulæ nonnullæ admiscentur pillulis de aga-

*Vires olei
Thymali.*

*Vsus olei
Thymali.*

rico, & aliis similibus morbo curando propriis
& miram vim purgandi obtinent.

De oleo Sambuci.

C A P. XIX.

*Methodus
extrahendi
olei ex Sam-
buc.*

EX Sambuci semine, oleum potest parari si-
mili methodo ac oleum de semine ebu-
li paratur: at ex foliis, cortice, & ligno ipsius
sambuci oleum potest haberi efficacissimum,
modò in descensorium ponantur hæc omnia sic-
cata, priùs per se, aut in sole, igneque superpo-
sito comburantur in cineres omnia imposita,
oleumque egressum separatum ab aqua, rectifi-
candum est super cineres illos prædicta antea
methodo, donec oleum ab omni fœtore ex-
polietur, & vindicetur: hoc oleum deinde,
permixtum cum æquali quantitate olei cinna-
momi seruandum est ad vsus medicos varios
quorum modus est hic.

Vires & Vfus.

*Vires olei
Sambuci.*

- 1 In suffocationibus, & strangulationibus mu-
lierum, & virginum, nihil est potentius cum
aqua arthemisiæ.
- 2 In pallidis & fœdis virginum coloribus eua-
nescendis, & tollendis mirè efficax.
- 3 In dolore stomachico demulcendo potentissi-
mè agit; educit enim humores crassos, vis-

cosos, pituitosos qui calorem stomachi suffocant.

4 Enecat vermes potentissimè intestinorum & stomachi, ex amaritudine summa quam habet ex suo sulphure & sale crudo.

Sumitur ad quantitatem ʒ. vnius aut alterius in robustissimis, & admixtum ovis sorbilibus propinatur, vel admiscetur syrupis solutiuis rosaceis, aut violaceis, vel pillulis catharticis; & sic paratur gratissima, tuta, & iucundissima medicina.

Vires olei Sambuci.

De oleo Persicaria.

C A P. X X.

Persicaria, mas & fœmina colliguntur æstatis tempore, & per se exsiccantur, in umbra, aut sole, & imponuntur descensorio, & igne superposito comburuntur in cineres albos, donec quicquid est olei & aquæ egrediatur omnino, & nihil in descensorio remanet præter cineres albos combustos & calcinatos, super quos rectificandum est oleum egressum à sua aqua separatam, donec fœtorem deponat omnem: hoc oleum insolatum cum floribus verbasci, in vitro optimè clauso, & per distillationem in balneo bullientis aquæ à floribus extractum, & separatam, balsamum præstantissimum est, quod optimè custodiendum est.

*Meth
eliciè
Persic*

*Vires & Vfus.**Vires olei
Perficaria.*

- 1 In curandis vulneribus balsamum potentissimum est, sanat omnia simplicia vulnera brevissimo tempore, & alia etiam quæcumque: impedit enim suppurationem & corruptionem in vulneribus suo sale dulci, & sulphure rubeo suo agglutinat & coniungit dissolutum, reparat enim & renouat carnem.
- 2 Ulcera etiam quæcumque maligna & alia, fistulas, & cancrum mirificè, & breui tempore ad cicatricem laudatam conducit propter allatas rationes.
- 3 Balsamum est potentissimum in curandis pulmonum morbis, balsamo sulphuris, aut eius lacte permixtum.
- 4 Curat potentissimè & citissimè dysenterias quascumque, & ulcera intestinorum agglutinat, & hæmorrhoidas ulceratas, & cancras mitigat, & tandem curat.
- 5 Vermes etiam, & lumbricos puerorum, & aliorum qui propter pituitæ copiam, hæc animalcula procreant, suo sale & sulphure acridulci enecat, & procreationem eorum impedit sua siccitate.

*Vfus olei
Perficaria.*

Sumitur à quantitate duodecim ad viginti guttarum, in aquis appropriatis, & morbo conuenientibus: & applicatur exterius per se, aut permiscetur vnguentis, & aliis oleis quæ vulneribus & vlcerebus curandis conueniunt & quadrant.

De oleo Hypericonis.

CAP. XXI.

Hypericon colligitur mense Iunio, circa festum diui Ioannis, & exsiccatur cum suis floribus, & descensorio inditur ad distillandum fortissimo igne adhibito, donec oleum omne egrediatur, & comburantur folia, flores, & lignum hyperici in cineres albos, super quos rectificandum est, distillando oleum per descensum egressum donec deponat fœtorem omnem & empyreumatis tetrum & fœtidum odorem, hoc oleum: deinde sic rectificatum coniungendum est, & permiscendum cum multa quantitate florum eiusdem, hyperici, tempore Iunij collectorum, & insolandum est per octo dies aut quindecim, aut in calore tenui digerendum, donec tincturam contrahat rubicundissimam ex his floribus; expresso oleo, immiscendi sunt iterum flores recentes, & digerendi iterum per quatuor aut sex dies in tenui calore: deinde exprimendum est oleum & hoc iterandum ter aut quater, & tandem dum placet color & consistentia, seruandum est in phialis vitreis optimè clausis, pro balsamo excellenti & potentissimo.

*Methodus
elicitæ de oleo
ex Hypericone.*

Vires & usus.

Vires & dotes naturales, naturalis balsami

*Vires &
usus olei
Hypericonis.*

proximè æmulatur, propter coctionem salis, mercurij, & sulphuris sui, quos continet perfectè depuratos & coctos.

2 Propterea contra pleuritidem probatissimum est remedium exterius applicatum parti dolenti, & interius sumptum, cum calido vino, vel cum aqua papaueris Reas.

3 Menstrua pellit mulierum, hinc fœdos virginum colores curat, febres omnes intermittentes, quotidianas, tertianas, & quartanas curat, quòd suo igne naturali humores frigidos consumat, & calorem naturalem multiplicet similitudine substantiæ.

4 Sanguinem omnino & apprimè depurat, vndè initia lepræ profligat, & vlcera cacoëthea ad cicatricem conducit.

5 Vulnèra omnia vetera, & recentia, & vlcera, quæcumque, fistulas, & reliqua mirificè agglutinat, & cicatrizat.

6 Hydropicis etiam prodest summopere, quia calorem naturalem multiplicando, & serofos humores exsiccando suo interno sulphure, hepar valdè roborat, & vniuscuiusque partis natium calorem.

*Vfus olei
hypericonis.*

Sumitur ad quantitatem ʒ ß. in iusculis, vel ovo forbili, vel aquis appropriatis, & morbo curando conuenientibus: & applicatur exterius ad curationem vlcerum & vulnèrum calidè admotum; vel miscetur vnguentis vulnerariis.

Conclusio libri quarti.

Possem in longiùs protrahere librum hunc de

oleis Chymicis: at puto cuicumque etsi nouo, & tyrunculo chymico me satis fecisse, ex descriptione præsentis oleorum chymicorum; quòd ad methodum hanc præscriptorum oleorum, poterit chymicus omnis, olea quæcumque elicere, ex vegetalibus, animalibus, & mineralibus: etsi olea ex mineralibus in medium non proposuerim elicienda, nec ex animalibus, quia id potest satis admodum, clarè & apertè colligi ex libro primo & secundo, de quintis essentiis & arcanis, ex animalibus & mineralibus extractis, ubi olea eliciuntur ad quintam essentiam & arcanum perficiendum, ad quos prædictos libros Lectorem recurrere oportet.

Finis libri quarti.



DE AQUA
 CHYMICIS ARTE
 PYROTECHNICA
 extractis,

LIBER QUINTVS.

Quid per aquam intelligant Chymici.

CAPVT I.

*Quid per aquam
 quam intel-
 ligatur.*



QVA Chymicorum non est aqua phlegmatica, aquosa, quæ leuissimo igne distillatur, ex quouis mixto humido, quæ nihil aliud est quàm excrementum aquæ chymicæ, quam multis in locis spiritum diximus, humidum radicale rerum omnium, humidum primigenium, quod extrahere docuimus in genere, Capite primo, libri secūdi, huius operis: Hæc, inquam, aqua, vera est, aqua quæ cōtinet virtutes quamplurimas mixti ex quo extrahitur: alia

verò aqua phlegmatica & aquosa, quæ est excrementum istius, & serum nullas ferè habet virtutes: vnde frustratur intento & scopo suo, medicina vulgaris, vtendo aqua ista, in curatione morborum: & plus habent virium decocta, quàm istæ aquæ excrementitiæ: Aqua pluuiialis est huic aquæ excrementitiæ similis, nam calore solis, aut calore centrali terræ sursum eleuatur & pellitur, & in media aëris regione tanquam in capitello frigido condensatur in aqua, & iterum decidit in terram: hæc aqua non est nisi excrementum aquosum, & humidum humidi radicalis terræ, & rerum omnium quæ continent secum humidá radicalem substantiam, quæ nullius ferè est virtutis, nec potest aliud quàm simpliciter refrigerare & humectare: alia verò aqua de qua est sermo, & cuius extractionem in particulari hoc in libro docere in votis est, est alia multò potentior priori, & nisi huius tenuissima pars admisceretur alteri aquosæ, & excrementitiæ nullas penitus haberet facultates mixti, ex quo eliceretur per simplicem distillationem. Ratio huius rei est, quòd virtus & potentia cuiuscumque rei, inest rei in cuius centro radicatur forma, quia forma est principium actionis & virtutis: at forma non radicatur in humore illo excrementitio aut alimentitio, quia adhuc non est pars mixti; at humidum radicale est vera pars mixti, & in qua radicatur forma: ergo etiam in humido radicali erunt virtutes, & agendi energiæ cuiuscumque mixti illud autem humidum radicale potèstne simplici & vulgari pharmacopolarum distillatione extrahi,

Vqua pluuiialis quid.

Virtus & facultas in centro, in quo residit.

Perpendant ergo medici, & pharmacopolæ quid debeat distillationi committi, & quæ aquæ ad vsum medicum seruandæ sint, existimare debent, ne se ipsos & ægrotos decipiant, inconsultò, & frustrentur à medicinæ scopo: nam aqua quam conseruare debent, est humidum radicale cuiuscumque rei, ad quod habendum nonnulla proponam pyrotechnica exempla, ad quorum methodum reliqua omnia poterunt haberi humida radicalia.

De aqua Rosacea.

C A P. II.

*Methodus
extrahenda
aqua rosa-
rum.*

ROsæ colligendæ sunt verno tempore, in solis ortu & contundendæ in mortario lapideo marmoreo, & vasi amplo vitreo aut alij cuius imponendæ, vt per tempus tandem deferueant: postquam autem deferuerit succus ille cum magmate suo, hyberno tempore distillanda est aqua ex succo illo rosarum, non verno tempore vt faciunt omnes communiter, & leuissimo calore balnei extrahendus est spiritus rosarum qui in ascensione sua & distillatione in capitello alembici strias facit, veluti spiritus vini; hic spiritus perquamoptimè custodiendus, est, & in phialis vitreis perquamoptimè clausis asseruandus & custodiendus, ne euanescat. Reliquum verò quod distillat est phlegma acerosum alieuius virtutis & odoris, & maioris

multò, quàm aqua vulgaris rosacea, communi methòdo distillata: hoc phlegma poterit conseruari ad condimenta vulgaria hominum, & odorem rosaceum indendum quibusuis rebus; non tamen ad vsum medicum, quod debiliores omnino habeant agendi facultates, totæ enim sunt in spiritu superius reseruato, vt videre est, ex proprietatibus suis & ipsamet experientia.

Vires & vsus aquæ Rosacæ.

- 1 Hemicraniam certissimè, tutissimè, & iucundissimè curat, & omnes dolores alios quoscunque capitis, ex corroboratione cerebri & spirituum eius, quam inducit odore suo, ex balsamica sua substantia aliquatenus coacta, & perfectissimè depurata.
- 2 Febribus omnibus biliosis, ardentibus, & putridis conuenit, quia putridos humores insensibiliter consumit, & impedit alios restantes ne putrescant: sulphur inflammatû & adustû extinguit in massa balsamica nostra, quâ medici vulgares, massam, sanguinem dicunt.
- 3 Inflammationibus externis erysipelatis summum est remedium; sola enim inunctione externa mitigat, & extinguit.
- 4 Fœtidis oris exhalationibus, siue ex putridis dentibus, siue ex indigestione stomachi, & putridis humoribus in eo stagnantibus id proueniat, summopere succurrit, propter fragrantissimum odorem suum, quem ex puro sulphure suo habet.
- 5 Somnum etiam conciliat, quòd recreet, &

*Vires aquæ
rosacæ.*

refocillet spiritus animales, ex balsamica sua virtute.

Dosis aqua rosarum.

Sumitur à quantitate drachmæ vnus aut alterius in iusculis, in syrupis, aut ouo sorbili, manè, ieiuno stomacho, aut longo tempore post pastum.

De aqua Violarum.

C A P. III.

NVllus vnquam medicus communis & vulgaris, nec pharmacopola, potuerunt adhuc suis ingeniis excogitare methodum extrahendi odorem violarum, nec quisquam eorum dedit vnquam aquam violarum fragrantem, & redolentem violarum odorem, & id est, quia chymiam contemnunt, & putant multò se subtiliores esse chymicis, & physicos naturam magis scrutantes & cognoscentes, quàm sint chymici: experientia tamen in multis, & ferè omnibus rebus contrarium testatur: sed absit hæc querela, & aquam violarum redolentem, & fragrantem doceamus.

Methodus extrahenda aqua violarum: ut citius deferueant aqua calida vasi imponenda, citius enim ita deferuēt succi omnes.

Colligendæ sunt violæ tempore verno, & contundendæ sunt in mortario marmoreo, & imponendæ sunt vasi vitreo, aut alij cuius obturato, & relinquendæ per multum tempus vt deferueant: postquam autem deferuerint, hyberno tempore distillanda est aqua violarum leuissimo calore balnei, in alembicis vitreis, recipiente adaptato alembici naso, & cum eo optimè iuncto,

ne respiret, & odor euanescat: spiritus illa distillatione leui ascendet primò, & strias faciet, mōre aliorum spirituum inter stillandum, qui spiritus est seruandus in phialis optimè clausis ad vsus medicos.

Vires & vsus aquæ violarum.

Vires æmulatur aquæ rosaceæ, sed fortius & potentius refrigerat & humectat, omnibusque morbis, quibus & aqua rosacea adhiberi potest adhibetur & ipsa; & potentius quidem agit in affectibus calidis tum cerebri, & aliarum partium, quàm & ipsa aqua rosarum agat; ideòque non nouas ei dabimus vires, sed easdem fere.

Vires aquæ violarum.

Sumitur ad eandem quantitatem ad drachmam putà vnam aut alteram, in iusculis in syrupis, in ouo forbili & similibus quæ palato arrident.

Dosis aquæ violar.

Ad hanc methodum poterit extrahi florum omnium fragrantium spiritus ad vsus medicos, & condimenta & blandimenta corporis humani.

De aqua papaueris.

CAP. IV.

FLORES purpurei, rubei, albi papaueris collecti & contusi vt prius in aquis rosarum & violarum vitreis vasis aut alijs custodiendi sunt & asseruandi, donec deferuerint, quod fiet intrà tres aut quatuor menses. Deinde hyberno tempore di-

Methodus extrahenda aquæ papaueris.

stillandum erit quicquid erat asseruatum in vase & distillandum quidem erit leuissimo calore balnei tepentis, vt ascendat spiritus papaueris, striae faciendo, qui custodiendus ad vsus medicos insignes.

Ad similem & eandem methodum poterit parari spiritus & aqua lactucae nenupharis, mandragorae & iusquiami, ad similes effectus parandos in morbis curandis; quibus spiritibus si grana quaedam ambari grisei & moschi dissoluantur, erunt potentissima remedia, & laudana dicta ad conciliandum somnum tutò, citò & iucundè nullo vitæ discrimine, paruòque impensò.

Vires & vsus aqua Papaueris.

*Vires aqua
papaueris.*

- 1 In conciliando somno nihil est efficacius, & verum nepenthes est, & laudanum chymicum, etsi simplex & vnica substantia coëreatur, non implicatis multis rerum essentijs.
- 3 Febres biliosas omnes & ardentes extinguit, quòd intemperatum sulphur accensum in balsamo naturali nostro, suo temperamento deducat ad temperiem, & sales corrosiuos & mordentes, & causticos mitiget, & corrigat.
- 3 In ardoribus vrinae nihil est efficacius, & renum & vesicae inflammationibus, quòd siccitatem & ardorem salis balsami nostri humectet & refrigeret suo calido humido temperato.
- 4 Inflammationibus omnibus internis medetur propter eandem rationem, & reducit balsamum

nostrum ad debitum & rectum temperamentum.

- 5 Doloribus omnibus siue ex arthritide proueniant, siue ex alijs quibusuis causis, contusionibus, vulneribus, & vlceribus est summum anodynum interiùs assumptum & exteriùs applicatum.

Sumitur à quantitate ʒß. ad ʒj. in iufculis, ouo sorbili, syrupis aut aquis communiter distillatis, aut decoctis; aut cum phlegmate suo, vt feruiat illi tanquam vehiculum ad deportandas eius virtutes per totum corporis nostri ambitum.

*Vfus & dos
sis aqua papauerum.*

De aqua Melissa.

C A P. V.

MELISSA seu Melissophyllum colligendum est æstiuo tempore, aut in fine veris, & contundendum est, cum parum vini, & reconddendum in vasis oprime clausis, vt per tempus deferueat: deinde hyberno tempore postquam optime clausum deferbuerit distillandum est, donec leuissimo balnei calore, ascendat spiritus, stria faciendo, vt in reliquis superioribus: qui spiritus perquam optime custodiendus est ad vsus medicos.

*Methodus
elicienda
aqua melif-
sa.*



*Vires & vsus aqua Melissa.**Vires aqua
melissa.*

- 1 Cerebrum ita confortat & roborat vt eius internas facultates & functiones magis augeantur, earumque vires valeant quam communis natura ferat.
- 2 Cor & hepar proximè roborat eorum spiritus multiplicando, propter ingentes & copiosos similes balsamicos spiritus quos secum continet.
- 3 Sanguinem mirifice depurat & obstructions omnes aperit, menstrua prolicit, & pallidos virginum fugat colores, propter innatum & naturalem calorem quem habet & salis spiritum solutum.

*Desis aqua
ssa.*

Sumitur ad quantitatem ʒ β. in iusculis, aut syrupsis appropriatis & conuenientibus morbo curando.

De aqua Buglosi.

CAP. VI.

*ethodus
ahenda
a buglo-*

BVGLOSSVM contūdendū est in mortario marmoreo, veluti & in prioribus factitatum est, & contusum condendum in vasis optimè ad defeurèdum: postquam defuerit distillandum vt prius, & deinde vltimò asseruandus eius spiritus, pro aqua cordiali.

Vires & vsus aqua Buglossi.

I Cor admodum confortat & roborat aduersus pestilentis auræ mephytes, & humorum omnium corruptorum malignos vapores, hinc nihil est potentius ad animi deliquia refrenanda.

Vires aqua buglossi.

Calorem naturalem multiplicat, & auget, vitalisque spiritus mirificè recreat & sanguinem purificat, propter salem suum dulcem & temperatum quem in suo spiritu dissolutum habet.

Sumitur ad quantitatem drachmæ vnius aut alterius in iusculis vel ouo sorbili, aut syrupis eiusdem Buglossi aut de limonibus.

Dosis aqua buglossi.

Conclusio.

Possem in longiùs protrahere librum hunc de aquis: at existimaui hæc exempla sufficere Lectori, vt ad similem methodum reliquas aquas chymicas seu spiritus elicere valeat, ex omnibus plantis, ex quibus in votis erit talem spiritum extrahere ad suos medicos vsus: eadem enim via & methodo eliciuntur. Itaque repetere toties eandem methodum & viam, tædiosum existimaui: quocirca grata sint tibi quæso hæc paucula exempla.

Finis libri quinti.



DE SYRVPIS

CHYMICIS

ARTE CHYMICA

præparatis,

LIBER SEXTVS.

De Syrupis in genere.

CAPVT I.

Syrupi quid

YRVPI, Apozemata, iulapia, propotismata quę antiquitus in præparadis, tum humoribus, tum corporibus ad purgationem offerebantur, erant leuia quædam medicamenta, decoctionibus saccharo, aut melle conditis præparata, quę ante purgationes generales offerebantur, vnde propotismata dicta sunt: in vsu adhuc sunt & tum aquis distillationibus præparatis, & decoctis parantur, saccharoque & melle condiuntur vulgariter. Attamen chimici methodum aliam inuenerunt, subtiliorem multò & efficaciorẽ hac vulgari præparatione, qua hæc propotismata & iucundiora sunt, & durabiliora, & multò efficaciora; fides erit penès experientiam: methodus autem sequentibus patebit exemplis.

*De Syrupo rosato laxativo arte chymica
preparato.*

C A P. II.

SV M M O manè collectæ rosæ, ante solis ortum, sverno tempore, mortario contunduntur marmoreo & prælo exprimitur earum succus, vel decoquantur in aqua laudati fontis: & expresso & colato decocto, iterum aque iterum per decem ac totidem vices iteratas decoquuntur novæ & recentes rosæ, & exprimuntur singulis vicibus: clarificatur decoctum tum filtro, tum in balneo Mariæ, reiectis fecibus nigris, donec decoctum aut earum succus depuratus perquamoptimè habeatur, rubedine candescat, ex quo in balneo Mariæ extrahi oportet phlegma aquosum quoddam, quod leuissimo calore ascendit, & remanet magma quoddam spissum, rubedine clarum in fundo alembici; cui addendum est sacchari quantum satis ad syrupum parandum, sufficientis spissitudinis: cui cocto & perfecto addendū iterum est octauum aut sextum pondus sui ipsius spiritus rosarū superius extracti lib. ʒ. cap. 2. & peroptimè miscere cochleari argenteo aut spatula lignea, oportet, & conseruare ad vsus medicos in vasis vitreis & conseruis.

*Methodus
faciendi sy-
rupi rosacei.*

H I C idem syrupus potest præparari ex magmate quod in fundo relinquitur ex distillatione spiritus rosacei,

superiùs declarati, modò magma tale depu-
retur perquamoptime à suis fecibus & clares-
cat; quod rite facies & perlimpidè absolues, si
magma coniungas aliquid cremoris tartari &
parum calefacias, & filtres: sic habebis perlim-
pidum rosarú sucum rubore clarum, quem sac-
charo admixto in syrupum coquere poteris, &
spiritu rosaceo admixto conseruare ad vsus medi-
cos excellentes & præclaros.

Vires & vsus syrupi rosacei.

*Vires syrupi
rosacei.*

- 1 Iucundè admodum purgat humores peccantes
in prima regione, & nulla molestia educit.
- 2 Obstructiones omnes aperit, visceráque om-
nia roborat, & calorem naturalem multipli-
cat; quòd serosos humores & frigidos foras
educat.

Hoc medicamento nullum aliud reperitur aptius
& commodius ad purgandos pueros, senes &
imbecilles omnes, & qui medicamenta res-
puunt; nam gratissimi est odoris, & suauissimi
saporis, & leuissime educit humores peccantes.
Sumitur ad quantitatem vnciæ vnus in iuscu-
culis tenuibus, & aquis Rosaceis, idque summo
mane, ieiunò stomacho.

*Dosis syrupi
rosacei.*

De Syrupo rosarum siccarum astringenti.

C A P. III.

*modus
li sy-
facei
astringētis.*

ROSÆ rubæ siccæ ad quantitatem ℥ j. pos-
sunt macerari per viginti quatuor horas in
cineribus

cineribus tepidis in phiala vitrea optime clausa in libris quatuor aquæ communis laudati fontis, expressum torculari factum potest purificari digerendo in balneo calido in phiala vitrea donec optime clarescat: remotis fecibus quæ in fundo resident saccharum optimum addendum est, & coquendum ad syrupi consistentiã: huic deinde addendæ guttulæ aliquæ spiritus vitrioli spagyricè præparati, vel spiritus salis nitri: & sic habebis syrupum acidum rosarum valde astringens: potest hic spiritus vitrioli acendens in infusione rosarum addi ad extrahendum colorem rosarum & tincturam earum, & tinctura hæc clarificata addito saccharo in syrupum coqui & seruari ad vsus sequentes.

Vires & vsus syrupi rosarum siccarum.

Calidos cerebri affectus moderat, & temperat, & acres defluxiones sistit, ventriculum roborat, sitim extinguit, somnum conciliat, alui fluxus & diarrhœas cohibet, tenasmo medetur, aphtas orisque vlcuscula quæ in ore infantium ex acrimonia lactis enasci solent, curat & delet magno iuuamine.

Summittur ad quantitatem vnciæ vnus aut alterius in aquis appropriatis, & morbo sanando conuenientibus, vel exterius applicatur vngendo & delambendo, vt in curatione vlcusculorum lætentium, quæ in ore eorum solent enasci.

De syrupo acido simplici.

CAP. IV.

*Methodus
faciendi sy-
rupi acidi
chymicorū.*

Succus acetosę torculari expressus, & balneo ca-
lido depuratus, addito saccharo optimo in sy-
rupum potest excoqui perfectum: huic deinde
addendum est tantum spiritus acidi vitrioli spagy-
rice distillati, quantum sufficit ad gratam acidi-
nem conciliandam, & erit verus syrups acidus
chymicus, cardiacus, multarum virium.

Vires & usus syrups acidi simplicis.

*Vires syrups
acidi. 1*

- 1 Cardiacum est summum & febribus mali-
gnis omnibus & pestilentibus conuenit;
quòd propter aciditatem suam corruptioni
& putredini resistat.
- 2 Vermes omnes & lumbricos puerorum ene-
cat, appetitum auget, stomachum roboran-
do & constringendo.
- 3 Alui fluxus & diarrhœas constringit sua
aciditate, & quòd serosos humores acres
& mordicantes corrigat & dulces faciat,
quòd salem acrem calcinet & soluat in
aliam substantiam meliorem.

dosis.

Sumitur in iusculis tenuibus, aut aquis appro-
priatis, & morbo conuenientibus ad quantitatem
vacię vnus aut alterius.

De Syrupo limonum.

CAP. V.

ACida nunquam fermentantur ex seipsis, nec feruescunt, quòd in his paucus admodum sit vitæ spiritus qui semper dulcedinem parit, vbi copiosus est; propterea in syrupo limonum parando difficilis est extractio spiritus, vt possit coniungi, illius confectiõni: nihilominus tamen ex corticibus limonum, & aqua ex eorum succo leuissima distillatione extracta, simul connexis, & in vitreum vas inditis tandem feruescunt, & hinc extrahitur spiritus leuissima balnei distillatione, qui postea (post succi limonum depurationem in balneo Mariæ factam, & hinc syrupum paratum communi & vulgari methodo) potest addi & connecti syrupo cocto & perfecto, cui etiam potest addi ad maiorem perfectionem & virtutem cardiacam eius augendam & multiplicandam, sal fixum, ex magmate corticum extractum per calcinationem earum, & eiusdem salis mundificationem: vt iam notum est omnibus fere chymicæ tyrunculis.

*Methodus
faciendi sy-
rupi limo-
num.*

Vires & usus olei syrupi limonum.

Vires omnes æmulatur syrupi acidi superioris, & *Vires.* potentiores multo habet & efficaciores, & præsertim in pestilentibus & malignis omnibus morbis curandis, & ab incurSIONE eorum præseruatione.

Sumitur ad eandem quantitatem, nempe ad vnciam vnam, aut alteram, in aquis conuenientibus, aut iusculis: herbis cardiacis alteratis eius virtus cardiaca multiplicatur, permiscendo tantillum aquæ cinnamomi aut croci, addita drachma vnica supra libram vnam arcani ex auro parati, aut ex margaritis, quæ arcana descripsimus lib. 3. huius operis: sic enim stupendas vires habet.

De Syrupo granatorum acidorum.

C A P. V I.

*Methodus
faciendi sy-
rupi grana-
torum.*

MA L A granata, quia subdulcia sunt facillime feruescunt, & feruore suo spiritus eorum separatur à suo phlegmate, qui spiritus postquam deferbuerit potest separari leuissima balnei distillatione, vt docuimus antea, & magma suum, quod est succus granatorum potest optime depurari balneo, separando feces quæ in fundo residet, filtro, aut per lenem inclinatione: depuratus deinde succus potest decoqui in syrupum perfectum, addita sufficienti sacchari optimi quantitate: huius deinde syrupo perfecte cocto potest addi & connecti spiritus optimè clausus ad vsus medicos.

Vires & vsus Syrupi granatorum.

Vires.

1 Stomachum valde roborat, sua moderata attractione & aciditate, hinc digestionem auget,

& appetitum deiectum restituit, vermes puerorum & lumbricos in eo existētes enecat sale suo acido.

2. Febris malignis & pestilentibus in genere omnibus medetur, & conuenit, ardorem & sitim extinguit, inquietudines & labores febrium omnium leuat & mitigat, quod corruptionem humorum corrigat, & calorem naturalem foueat.

Dosis.

Sumitur ad quantitatem vnciæ vnius aut alterius in iusculis, vel per se ex cochleari sapisime in die, longo tempore à cibo sumpto, ad sitim mitigandam & ardorem febrium extinguendum.

De Syrupo de mentha.

C A P. VII.

MENTHA recentissimè collecta omni tempore potest contundi in mortario marmoreo, cum tantillo aquæ cinnamomi, vt exprimatur eius succus torculari: expressus hic succus in sufficienti quantitate depurandus est in balneo calido, & reiectis fecibus omnibus, decoquendus est in syrupum perfectè coctum: huic deinde adde olei cinnamomi drachmas aliquas, putà drachmam vnā, supra vnāquāque libram syrupi perfecti cocti, & arcani sanguinis humani, libro primò huius operis preparati tantundem, & reponne in phialis optimè clausis ad vsus medicos mi-

*Meth
faciend
rupi de men-
tha.*

randos. Quod si arcanum sanguinis, nec oleum cinnamomi habeas, fermentato succum menthæ, & ex eo fermentato extrahe spiritum, eius, & depura ab eius phlegmate per distillationem, & connecte syrupo tuo perfectè cocto, ex magmate depurato confecto, & sic habebis syrupum menthæ simplicem miræ virtutis; prior tamen præstat & efficacior est multo.

Vires & usus syrui de mentha.

*Vires syrui
de mentha.*

- 1 Frigidis stomachi & ventriculi affectibus in genere subuenit; calorem enim naturalem mirificè auget & multiplicat suo interno balsamo.
- 2 Sanguinem summopere depurat, hepar roborat, vnde vitia omnia hepatis tutissimè & iucundissimè sanat.
- 3 Eius vsus continuus & frequens senectutem retardat & iuuentutem renouat, & vitia omnia coctionum omnium primæ, secundæ, & tertix corrigit & emendat; vnde totum corpus reuouat & reparat, & à morbis & effectibus contra naturam defendit: si arcanum sanguinis illi connectetur æmulatur, vires auri potabilis antiquorum.

Dosis.

Sumitur ad quantitatem drachmæ vnus aut alterius in ouo sorbili, aut iuscuro, summo manè, ieiuno stomacho, aut longo tempore à passu.

De Syrupo absynthij.

C A P. VIII.

Absynthium ponticum, aut Romanum potest contundi in mortario marmoreo recentissime collectum cum parum vini; aut extrahatur torculari eius succus: succus extractus in balneo depurandus, depuratus decoquendus est in syrupū perfectè coctum, addita sufficienti sacchari quantitate: huic deinde adde salis eiusdem absynthij ex cineribus eius extracti, per artem & methodum communem, & vulgarem, supra quamcumque libram ꝑ ij. olei absynthij libro 4. huius operis parati ꝑ ß. & misce & serua. Et ad maiorem penetrationem, & agendi promptitudinem potest extrahi spiritus absynthij ex eius succo fermentato, & addi ad pondus vnus aut alterius drachmæ supra libram vnamquaque syrupi perfectè cocti, & seruare deinde in vitreis vasis optimè clausis.

*Methodus
faciendi sy-
rupi absyn-
thij.*

Vires & usus Syrupi absynthij.

- 1 Vires æmulatur syrupi de mentha simplicis, fortiùs tamen roborat, stomachum & ventriculum, & deiectum appetitum restituit.
- 2 Obstructiones omnes aperit tum hepatis, & lienis, & viscera omnia roborat.
- 3 Pallidos virginum colores fugat & curat, & menstrua educit, sanguinem multiplicando, deobstruendo, & serositates & glutinositates humorum consumendo & extenuando.

*Vires
pi absynthij.*

Sumitur ad quantitatem ʒ ij. in ovo forbili, aut iusculis, herbis morbo proprijs & conuenientibus alteratis, summo mane, idque ieiunio stomacho, deambulando post-sumptum.

De Syrupo papaueris.

C A P. IX.

*Methodus
faciendi sy-
rupi papa-
ueris.*

FL O R E S papaueris cuiuscumque recenter collecti cōtundantur in mortario marmoreo, & succus exprimatur torculari: expressus succus depuretur in balneo calido: reiectis fecibus quod clarum est & limpidum percoquatur in syrupum addita sufficienti sacchari optimi quantitate: huius syrupo perfectè cocto addatur ad quamlibet libram illius, drachma vnica olei papaueris, aut altera, & fiet narcoticum perquamoptimum & tutissimum, cui ad maiorem securitatem, vt virtus eius narcotica aliqua ratione obtundatur, addi potest ad quamcumque libram, drachma semis olei cinnamomi, aut cariophyllorum superius libro quarto huius operis præparatorum,

Vires & Vfus.

Vires.

- 1 Somnum tutissimè conciliat vires recreando, & fouendo, & cerebri facultates omnes roborando, vnde in mania & phrenitide summum est arcanum.
- 2 Dolorum omnium est rixotomon & verum

anodynum medicamentum, interiùs sumptum & exteriùs applicatum.

- 3 Ad febrium omnium continuarum & ardentium labores sedandos nihil est potentius.
- 4 Ad ardorem vrinæ extinguendum & mitigandum nihil est melius & efficacius.
- 5 Defluxiones omnes acres & mordaces sistit: & compescit suo narcotico sulphure, facultatesque languidas & partes debiles fouet & roborat, calorem naturalem roborando.

Sumitur ad quantitatem drachmarum duarum aut trium in ouo sorbili, aut iusculis, aut aquis lactuæ, aut portulacæ, dum necessitas vrget, modò ventriculus vacuus sit à copia cibi & potus.

Dosis.

De Syrupo Brionia.

C A P. X.

BRIONIÆ radices per se exsiccatae & arefactae comburuntur in cineres albos in olla fictili noua, non vitreata: ex his cineribus methodo communi & vulgari extrahitur sal illius: deinde ex eadè ipsa brionia recenti & succulenta per decoctionem fortem in aqua laudati fontis & expressionem habemus tincturam rubicundissimã Brionia, quam omnino depuratam & clarificatam decoctione inspissamus ad mellis consistentiam, & addita sacchari sufficienti quantitate decoquimus in syrupum perfectum, cui addimus ad libram quãcumque syrupi, vnciam semis salis eiusdem brio-

*Methodus
faciendi sy-
rupi brio-
nia.*

*Vires & vsus syrupi Brionie.**Vires syrupi
Brionie.*

Purgat leuissimè omnes serosos humores, & menstrua potentissimè educit, vnde virginum ferè omnes morbos tutissimè curat; obstructions enim omnes aperit & sanguinem purificat.

Dosis.

Sumitur ad quantitatem vnciæ semis, aut in fortioribus protenditur potio ad vnciam vnam, in iusculis morbo curando appropriatis, & conuenientibus; idque summo manè, ieiuno stomacho, seruato regimine, & custodia more vulgari.

De Syrupo Aristolochia.

C A P. XI.

*Methodus
faciendi sy-
rupi Aristo-
logia.*

R Adices recentis Aristolochiæ rotundæ con-
tufæ, & sufficienti spiritus vini quantitati
permixtæ, ad eminentiam quatuor aut sex digi-
torum, in phiala vitrea optimè clausa, in cineri-
bus tepidis, per tres aut quatuor dies digeren-
dæ sunt, donec rubescat vini spiritus, qui post-
ea est extrahendus per inclinationem, & nouus
addendus, vt tota extrahatur Aristolochiæ tinctu-
ra, quæ tum demum in balneo Mariæ distillan-
da est, vt separetur spiritus vini, & remaneat
tinctura rubicundissima, in fundo alembici in-
star mellis, cui addenda est sufficiens sacchari

quantitas, & in syrupum percoquenda, cui ultimò sal connectendus est, & seruandus est ad vsus medicos varios: ad maiorem efficaciam potest extrahi spiritus Aristolochiæ ex succo eius fermentato, & postquam depuratus est spiritus à suo phlegmate, addendus est syrupo: ad quamcumque libram eius, addenda est spiritus drachma vnica aut altera.

Vires & vsus.

1 Vires æmulatur syrupi de brionia, at potentiùs agit in depurando sanguine, & purgandis serosis humoribus, & educendis menstruis.

*Vires syrupi
Aristologia.*

2 Vlcera præterea interna eius frequens vsus curat, & ad cicatricem conducit; imò & externa vlcera & fistulas eius internus vsus ad curationem disponit, quòd sanguinem depuret & vindicet à sale acri & mordaci.

Sumitur ad quantitatem vnciæ semis in iufculis pulli, aut ouo forbili, aut aquis morbo curando idoneis, idque summo manè, ieiuno stomacho, seruato regimine & custodia, propter eius purgandi, & euacuandi energiam.

Defts.

Ad similem & eandem methodum possunt parari syrupi ex extracto tythimali, esulæ, laticyris, cucumeris agræstis, & aliarum similibus plantarum purgantium, & violentissimè ex sua natura humores omnes euacuantium. At modò succus earum plantarum perquamoptimè

depuretur in balneo calido, & ex succo sic depurato extrahatur tinctura spiritu vini optimo: postquam spiritus vini per balneum Mariæ extractus est ex tinctura, potest parari syrupus gratissimus, ad purgandos humores quosuis corporis humani, anteponendus medicamentis quæ multo precio & labore summo, & ingenti periculo asportantur in has regiones, ex longinquis terræ plagis: at, proh nefas, incuria medicorum medicinam nobis fecit precio & periculo emendam: benigna tamen natura ubi posuit malum ibi posuit remedium, non in exterarum regiones quarendum.

De Syrupo Corallorum.

C A P. XII.

*Methodus
faciendi sy-
ropi coralli-
ni.*

CORALLA rubea postquam aceto stillatitio dissolueris, & acetum in catino argenteo evaporaueris, salēque in fundo remanentem aqua dulci stillatitia edulcoraueris, succo granatorum acidorum aut dulci depurato permixtum addita sufficienti quantitate sacchari in syrupum perfectum decoques: huic iterum addes arcani ex corallis parati ad vnamquāque libram drachmas duas. Arcanum, seu quintam corallorum, essentium descripsimus libro tertio huius operis cap. 22.

Vires & vsus Syrupi corallini.

1 In morbis venenatis nihil est potentius, & ad præseruationem in pestifero tempore nihil est tutius & commodius.

Vires syrupi corallini.

2 Vires æmulatur quintæ essentiæ corallorum; at tardiùs & segniùs agit, propter admixtum saccharum, & granatorum succum, quæ eius efficaciam retundunt.

Sumitur ad quantitatem vnciæ vnius per se, summo, manè ieiuno stomacho, deambulando, & corpus agitando, leuissimo motu, post syrupi portionem.

*Dosis.**De Syrupo Margaritarum.*

C A P. XIII.

SA L Margaritarum vulgari & communi methodo habendus est & parandus: huius deinde vncia vnica aut altera permiscenda est cum libra semisse succi buglossi depurati, & addita sacchari sufficienti quantitate in syrupum excoquenda: huic syrupo perfectè cocto adde quintæ essentiæ Margaritarum lib. 3. cap. 21. descriptæ 3 iij. misce & serua.

*Methodus faciendi syrupi margaritarum.**Vires & vsus Syrupi margaritarum.*

1 Summum est cardiacum, & collapsas ætate vires reparat & fouet, humidum radicale

Vires syrupi margaritarum.

multiplicando, propter internum suum balsamum naturale, nostro homogeneum & coæquale.

2 Hecticis admodum, & tabidis conuenit & pedetentim calorem eorum præter naturam & febrem extinguit; humidum radicale multiplicando.

Dosis.

Sumitur ad quantitatem drachmarum duarum singulis diebus, summo manè, in aqua rosacea, aut cum lacte humano recenter è mammis extracto & elicito, vel cum ouo sorbili recenti, & sub cineribus tepidis calefacto.

Finis libri sexti.



DE PILLVLIS

ARTE CHYMI-

MICA PARATIS,

LIBER SEPTIMVS.

De pillulis Mercurij.

CAPVT I.



TVRPETVM Paracelsi quod est mercurius oleo sulphuris per campanam facto, præcipitatus, & Aquila mercurij quæ est eius sublimatum à sale communi præparato edulcoratum; & corallinum arcanum, quod est mercurius aqua forti præcipitatus, in pillulas possunt efformari: at quod potentissimè & violentissimè euocent humores in corpore peccantes, de his in præserti opere non erit sermo. At docebimus

Pillulæ mercurij.

pillulas parare ex mercurio, mitioris facultatis & iucundioris & tutioris actionis. Tales erunt, quæ parantur sequenti methodo \mathcal{L} . quintæ essentia argenti viui libro 3. cap. 8. huius operis præparata vnciam vnam, amyli vnciâ semis, moschi grana decem, ambari optimi drachmam semis, olei cinnamomi 3 j. misce fiat massa, aluta cooperienda, & vitreo vase concludenda ad vsus.

Vires & vsus pillularum mercurij.

Vires.

I Vires, facultates, & virtutes omnes retinent & possident, ac quinta essentia mercurij: omnibus morbis conueniunt, quibus vsus est purgandi, & humores in corpore putres euacuandi.

Dosis.

Dosis est pillula vnica ponderis scrupuli vnus, post primum somnum deuorata, vel summo manè seruato regimine & custodia.

De pillulis antimoniij.

C A P. I I.

DIVERSIMODE præparant chymici antimonium, alij in vitrum præcipitant, nonnulli in flores sublimant, alij in oleum rubicundissimum fundunt, alij in salem fusibilem indurant: ex quibus omnibus præparationibus pillulæ possunt formari: at nisi à prudentissimo exhibeantur medico periculum imminet ne malum curandum & ipsammet

ipsummet egrotum è medio tollant præ nimia euacuandi facultate. Tutissimas tamen ex antimonio paratas exhibemus pillulas sequenti via. ℞. quintæ essentiæ nostræ antimonij libro 3. cap. 15. huius operis descriptæ, vnciam vnicâ, corticis citri cõditi vnciam semis, farinæ amyli ʒ ij. moschi & ambari optimi ana scrupulum vnum, olei anisi & cario-phyllorum ana ʒß. misce, fiat massa, malaxâdo simul & aluta noua includenda & vitro, & seruanda ad vsus medicos varios & insignes.

Vires & vsus pillularum Antimonij.

Vires omnes retinēt ac quinta essentia antimonij : harum vsus frequens leprosos certissimè curat, & renouat totum hominem : stupendas virtutes habent creditu difficiles, & fides erit penès experientiam.

Vires.

Dosis earum est pillula vnica, ponderis drachmæ vnius, summo manè deuorata, ieiuno stomacho, seruato regimine & custodia artis.

*Dosis.**Dè pillulis Vitrioli.*

CAP. III.

EX Colcotare vitrioli per reïteratas calcinationes & solutiones & euaporationes paratur sal quidam albissimus & vltimò rubeus, summè depuratus, qui in pillulas potest efformari, ad commodiorem eius vsus sequenti via. ℞. salis vi-

Pillula vitrioli.

trioli vulgari & communi methodo præparati
 vnciam vnā; pulpæ passularum vnciam alteram,
 olei anisi & cinnamomi an. ꝑ j. farinæ amyli ꝑ iij.
 moschi ꝑ β. misce, fiat massa aluta noua recludēda
 & inuoluenda, & totum in conferua vitrea custo-
 diendum ad vsus.

Vires & vsus pillul. Vitrioli.

Vires!

- 1 Serosos & pituitosos in ventriculo stagnantes humores potentissimè educit.
- 2 Menstrua muliebria efficacissimè prolicit, secundinas educit, & fœtum ipsum ad partum promptissimè mouet.
- 3 Epilepsiam curat, & omnes cerebri frigidos affectus, Apoplexiam & alios eiusmodi affectus si curatu possibiles sint, curat quàm potentissimè.

Dosis earum est, pillulæ tres ponderis scrupuli vnus vnaquæque; ita vt sint scrupuli tres in vnaquæque dosi.

De pillulis Ebuli.

C A P. I V.

olei **O**leum seminis ebuli per decoctionem eius extractum, potest efformari in pillulas gratissimas & suauissimas potentissimæ facultatis, sequenti via ℞. olei seminis ebuli in hypocausto depurati ꝑ j. farinæ amyli ꝑ ij. moschi ꝑ j. olei

cinnamomi ꝑ̄ß. corticis citri conditi ꝑ̄ß. misce,
malaxando simul, & massam faciendo, aluta noua
includendam, & in vitro clauso conseruandam ad
vsus medicos insignes.

Vires & vsus pillularum olei ebuli.

Arcanum est summū in curatione hydropicorum;
serosos enim humores potentissime sinè mole-
stia educit, & vires æmulatur omnes olei ebuli,
& quintæ essentiæ libro 2. huius operis des-
criptæ.

Dosis earum est drachma vnica in pillulas paruas
deauratas efformata, & summo manè, aut post
primum somnum sumpta, seruato regimine &
custodia.

De pillulis Rheubarbari.

C A P. V.

Rheubarbari quinta essentia libro secūdo cap.
21. huius operis descripta potest efformari in
pillulas sequenti via Ꝓ̄. Quintæ essentiæ Rheu-
barbari vnciam vnam, micæ panis albissimi vnciã
semis, olei cinnamomi ꝑ̄j. ambari grisei ꝑ̄ß. salis
Rheub. optimè depurati ꝑ̄iij. misce, fiat massa, via
communi & methodo, aluta noua inuoluenda &
vitro concludenda ad vsus.

Vires & vsus pillula Rheubarbari.

Vires æmulatur omnes quintæ essentiæ Rheub.
vnde hîc non sunt repetendæ, sed caput illius

*Pillula
Rheub.*

Vires.

inquirendum, & ibi virtutes indagandæ, & per
experientiam experiendæ.

Dosis. Dosis est drachma vna & semis, in pillulas effor-
mata, & post primum somnum deuorata, ser-
uato regimine & custodia.

De pillulis Agarici.

C A P. VI.

*Pillula A-
garici.*

Quod de Rheubarbaro factitatum est, idem
in agarico potest fieri, eius putà quinta
essentia libro 2. cap. 22. huius operis descripta
in pillulas efformari, sequenti methodo. ℞. quin-
tæ essentiaë agarici, vnciam vnã, farina amyli
vnciam alteram, olei anisi ꝓ ij. salis agarici ꝓ iij. mos-
chi grana decē, vt virtus eius deferatur ad caput:
miscæ fiat massa, vt prius, vitro includenda, aluta
noua inuoluta.

Vires & vsus pillularum Agarici.

Vires.

Cerebrum mitissimè & suauissimè purgant à pi-
tuitosis recrementis. hinc catarrhos euacuant &
exsiccāt, dolores dentium mitigāt, sublata cau-
sa: arthritidos etiam doloribus summo pere sub-
ueniunt, & vires omnes quintæ essentiaë agarici
possident & retinent.

Dosis.


Dosis est, drachma vna & semis in pillulas paruas
efformata, & post primum somnum deuo-
rata, seruato regimine & custodia, vel vt

gente necessitate omni tempore & hora sumi,
& deglutiri, post digestionem & cibi sumpti
consumptionem.

Conclusio libri septimi.

Omnes quintæ essentiæ & arcana chymica
quæ descriplimus, possunt in pillulas efformari si-
mili & eadem via superius conscripta: quocirca
non longiùs protraham hunc librum. Si quis chy-
micorum desideret pillulas alias, efformare po-
terit quascumque volet ad similem methodum
à nobis præscriptam: quamobrem librum de vn-
guentis & emplastris arte chymica paratis aggre-
diar.

Finis libri septimi.



DE VNGVENTIS ET EMPLASTRIS

ARTE CHYMICA

PARATIS,

LIBER OCTAVVS.

De vnguento rosaceo.

CAPVT I.

*Vnguentum
rosaceum.*



VCCVS rosarum optime depuratus, in balneo Mariæ, & à feculentis suis omnibus recrementis purgatus potest cogi in vnguentum sequenti via ℥. huius rosarum succi tali methodo depurati ℥ss. spiritus vitrioli ℥ss. axungie porci vndecies aut pluries lotæ cum aqua rosacea in mortario marmoreo agitando vnde optimè candescat & nitescat, ℥ iiij. olei opij thebaici arte chymica parati ℥j. olei seminum quatuor frigidorum per expressionem extracti ℥ iiij. misce, fiat vnguentum agitando in mortario marmoreo, donec omnia pedetentim mixta incorporentur, & fiant vnum, ad vsu[m] reponendum, in vitreo vase optimè clauso, vt gratissimum conseruet odorem & rubicundissimum suum colorem beneficio spi-

ritus vitrioli, qui & frigiditatem auget & astrictio-
nem.

Vires & vsus unguenti rosacei.

Potentissimè refrigerat hoc unguentum, unde om-
nibus inflammationibus medetur & erysipela-
tibus & doloribus quibuscumque ex causa cali-
da ortis, & suo gratissimo odore cerebrum ro-
borat & reficit, & cor exhilarat.

Applicatur exterius unguendo, idque frigidè, partes
dolore aut morbo curando affectas, linteis aqua
rosacea madidis appositis.

Vires

Vsus

*De butyro saturni, quod & nutritum un-
guentum dici potest.*

C A P. II.

Cerusa, minium, Lithargyrum, aut plumbum
calcinatum possunt dissolui in aceto acerri-
mo stillatitio: acetum stillatitium clarum & filtra-
tum potest incorporari agitatione summa cum
oleo amygdalarum dulcium, per expressionem fa-
cto, vel cum oleo seminum quatuor frigidorum ad
maiores efficaciam, donec concresecat & coagu-
letur in butyrum candidissimum ad mirabiles ef-
fectus patrandos: hoc unguentum non debent
spagyrici pharmacopolæ in pixidibus confectum
reseruare diutius quàm per sex aut decem dies,
quia evanescit & liquefcit; at acetum stillatum
habere paratum & dum unguento tali indigent in
eo dissolvere cerusam per ebullitionem, & filtrato &

*Butyrum sa-
turni.*

clarificato aceto, connectere olea prædicta & in butyrum agitatione coagulare, & ad vsus præfentes & vrgentes applicare: vel dissolutionem Saturni puram & limpidam in phialis vitreis afferuare, ad vsus prædictos.

Vires & vsus butyri saturni.

Vires.

Ad omnia quibus cõuenit vnguentum rosaceum, conuenit & butyrum Saturni, & multò potentiùs agit: præterea ambuſta omnia sanat & citiffime ad cicatricem laudatiffimam conducit, dolores hæmorrhoidum mitigat & demulcet: vlcera maligna & depafcentia compescit & temperat, ne vltra progrediantur, & dolores eorum extinguit.

Vfus.

Applicatur exteriùs vngedo frigidè linteis aceto madidis appofitis: eius vsus frequèter iterandus, præfertim in inflàmationibus, & ambuſtis, quia corpus eius citò disperditur ab inflàmatione.

De vnguento Narcotico.

CAPVT III.

m **V**NGuentum narcoticum potest parari ex *m.* oleis narcoticis, putà ex papauere, iusquiamo, ex mandragora, ex violaceo, rosaceo, & reliquis similibus frigidis, vim narcoticam habentibus, ceræ albæ perquam optimè lotæ malaxatis & incorporatis, sequenti via. ℞. Ceræ albæ fusæ, & liquatæ multoties in aquam rosaceam

plantaginis, nenupharis, aut pluuiialis iniectæ, & malaxatæ lb ij. olei mandragoræ spagyricè præparati, in libro quarto huius operis, Capite primo, ℥ iij. olei papaueris itidem spagyricè præparati ℥ ij. olei rosacei, & violacei an. ℥ iij. spiritus violacei ℥ iij. misce, fiat vnguentum, cui addi potest camphoræ spiritu violaceo dissolutæ ℥ iij. reponendum est ad vsus, in vitreis vasis optimè clausis, & obturatis, ne odor eius euanescat.

Vires & vsus vnguenti Narcotici.

Somnum tutissimè conciliat, vires collapsas à febre ardenti & continua reficit, & restaurat, manias & phrenitides compescit & moderat, dolores omnes capitis violentissimos citissimè mitigat, & extinguit, & est arcanum hemicranie, dolores alios reliquarum partium etiam compescit, & inflammationibus omnibus medetur.

Vires.

Applicatur exterius frigide vngendo linteis aqua rosacea madidis appositis, ad conciliandum somnum delinuntur nares tempora, & capitis vertex, in mania & phrenitide detasis capillis, totum delinitur caput in fortissimis & robustissimis corporibus, hausto prius potu cardiaco, aut iuscule sumpto, cardiacis admixtis.

Vsus.

De Butyro, aut coagulo vitrioli, & Nitri.

CAP. IV.

Nitrum calcinandum est, & comburendum, vel per se iniectis in eo carbonibus ardenti-

*Coagulum
vitrioli &
nitri.*

bus, vel æquali quantitate tartari admixta, & accensa, & prunis candentibus per aliquot horas detenta, donec optimè calcinetur, in calcem albissimam, quæ soluta in humido, vel aqua communi pluuiiali stillatitia, & connexa cum æquali quantitate salis vitrioli itidem soluti, coagulantur ambo in butyrum albissimum & coagulum candidum, quod in vitreis conseruis potest asseruari ad vsus medicos.

Vires & vsus coaguli vitrioli, & nitri.

Vires

Coagulum hoc intus, & extra potest sumi & applicari, cōtra communem vnguentorum vsum: intus sumptum iucundissimè purgahumores omnes tartareos & melancholicos: arthritidi curandæ prodest exteriùs applicatum, resoluit tumores frigidos & scirrhosos, & discutit, & disperdit œdematosos & pituitosos tumores, herpes, herpigines, & scabiem omnem tollit eius frequens litus: sumitur ad quantitatem ʒ j. aut alterius in vncia semis syrapi rosati vel violacei.

Vsus.

De coagulo Antimonij, & mercurij.

C A P. V.

*Coagulum
antimonij
& mercurij.*

ANtimonium, & mercurius sublimatus æquali pondere connexi, & in retortam vitream immissi leuissimo calore coguntur in oleum aut

aquam acidissimam: quæ frigido congelatur; hæc aqua rectificata bis aut ter, & in limpidissimam conuersa rectificatione glaciem, spiritum vini à suo phlegmate, & aquoso excremento optimè vindicatum coagulat in butyrum scissile candidissimum vitro vasi includendum, & seruandum ad vsus, & si circulentur, simul digerantur leui calore acquirunt colorem rubicundissimum, & maiorem penetrandi facultatem.

Vires & vsus.

Vlcera omnia maligna, carcinomata, depascentia, curat, & scrofulas, & herpes, & herpigines, & verrucas, & scirrhos tollit: eius vsus est, vt vlcus curandum sensim tangatur coagulo nostro, & circum circa ad dolorem leniendum superponatur butyrum saturni, post scarrum deiectum iterum tangatur donec placeat vlcus, & videatur curatum, butyro saturni ad cicatricem conducendum, aut cum oleo ex vitellis oui.

De coagulo Margaritarum.

CAP. VI.

Margaritæ in aceto stillatio dissolutæ, & per euaporationem aceti in salem conuersæ, qui sal depuratus perquam optimè, & edulcoratus solutionibus & euaporationibus frequenter iteratis in aqua pluuiali stillatitia: sal tandem

*Coagulum
Margarita-
rum.*

ille ita depuratus, & connexus optimo vini spiritu ab omni phlegmate vindicato, coagulat spiritum vini in butyrum scissile, & coagulum candidum, vitreo vase referuandum ad vsus stupendor.

Vires & vsus coaguli Margaritarum.

Vires.

Hoc coagulum mirum est, & stupendos habet effectus intus & extra; intus reparat humidum radicale deperditum, senectutem retardat, sanguinem purificat, omnia viscera roborat, spiritus omnes multiplicat, & facultates omnes, & actiones fouet & auget.

Vsus.

Exteriùs applicatum paralyfim curat, torporem membrorum sanat, membra exsiccata & tabida, cibum & alimentum internum non capessentia, & spirituum commercio priuata, reficit & restaurat. Scyrrhosos omnes tumores & frigidos tollit, & discutit. Sumitur interiùs ad quantitatem zj . in ouo sorbili, manè, ieiuno stomacho, vel longo tempore à cibo sumpto.

De vnguento Basilico majori chymico.

C A P. VII.

*Basilicum
chymicum.*

POSSUNT & chymici pharmacopolæ basilicum vnguentum componere, fortiùs multò & potentius vulgari & communi basilico, quod palàm diuenditur ad suppurationem inducendam tumoribus præter naturam, & suauioris odoris, non

fœtidi, vti vulgare illud vnguentum basilicum dictum, quod nullo modo nominis etymologiam seruat. Nos verò sequenti via, verum basilicum componemus ℞. Cerae flauæ à recementis purgatæ, ℥ ij. olei vitellorum oui spagyricè præparati ℥ iij. olei philosophorum, seu de lateribus ℥ iij. olei picis naualis ℥ ij. spiritus therebentinae ℥ j. olei rubei therebentinae ℥ j. β. olei saluiæ, aut calamenti, & majoranæ ana ℥ iij. zibetæ drachmam vnam: misce, fiat vnguentum: leuissimo calore permisceantur olea prædicta cerae flauæ, & recondatur in vitreo vase optimè clauso & obturato ad vsus medicos insignes.

Vires & vsus vnguenti Basilici.

Frigidis omnibus affectibus conuenit, & tumores frigidos discutit, & calidos ad suppurationem breuissimo tempore conducit; auget enim calorem naturalem qui totius suppurationis est instrumentum, expellendo quod putridum est, & contra naturam in partem affectam deuectum & defluxum: reliquum autem conseruat, ne putrescat, vnde citiùs curantur tumores, quia non tam longo tempore putrescunt.

Applicatur exteriùs vngendo partes affectas, linteis calidis appositis, donec cesset affectus.

De vnguento diuino chymico.

C A P. VIII.

Vnguentum
diuinum.

AXungia vrsina ad quantitatem librarum decem habenda est, & perquamoptimè lauanda optimo vino & odorato. Huic axungiaē connectenda est axungiaē humanæ ℥ j. his deinde permixtis, & leui igne liquatis, permiscendi sunt flores authos, saluia, thymi, maiorana, tilia arboris, agni casti, betonica, meliloti, althea, ana ad quantitatem manipulorum duorum aut trium: & in vase vitreato, optime clauso, in cineribus tepidis, per quindecim dies aut saltem octo, detinendi, vt leuissimo calore decoquantur, & deponant odorem suum & succum axungiaē liquatae. Vltimò tandem dum calet omne torculari exprimendum est, & leuissimo calore decoquendum ad euaporationem succi florum. Huic axungiaē, deinde sic preparatae admisce cerae flauae ℥ j. olei cerae ℥ β. olei de lateribus ℥ vj. olei pulegii, meliloti, calamenti, origani, saluia, rorismarini, & lauendulae ana ℥ ij. salis eorundem ℥ β. salis volatilis sanguinis humani ℥ iij. salis fixi sanguinis humani ℥ ij. salis tartari ℥ j. misce, fiat vnguentum vitreo vase reponendum ad stupendos, & incredibiles effectus in curatione morborum cutaneorum.

Vires & vsus vnguenti diuini.

Omnia vlcera vetera & recentia, maligna, & alia *Vires.*
 quæuis citissime curat: tumores omnes frigidos scirrhosos discutit & emollit, aliòsque ad suppurationem conducit, & conductos ad cicatricem laudatam ultra pergit: dolores omnes ex causa frigida ortos compescit & mitigat, vulnera sanat quæcumque, menstrua educit solo illitu, & partum prouocat.

Applicatur *exteriùs* calidè vngendo partes affectas linteis cooperiendas, superpositis emplastris calidis, & morbo curando appropriatis. *Vsus.*

De emplastro contra rupturam.

CAP. IX.

Emplastra possunt & apud chymicos commodissimè præparari & faciliori negotio, quàm apud vulgares pharmacopolas: nam quintæ essentiæ omnes & olea eorum ceræ aut pici nauali incorporata, & malaxata, emplastri consistentiam acquirunt, & fortiora multo sunt vulgaribus & communibus, diutiùsque durant: emplastrum ergo ad herniam seu contra rupturam omnem & ossium dislocationem, sequenti methodo parauimus. ℞. ceræ albæ *Empla
contra rupturam.*

succo granatorum aut aceto albo lotæ lb j. huic adde olei mastichini spagyricè præparati ℥ iij. aceti sulphuris per campanam facti ℥ ij. tincturæ rosarum ℥ j. croci martis ℥ j. terræ sigillatæ ℥ ij. terræ exanimatæ vitrioli, hoc est fecis vitrioli ex distillatione eius, ab omni eius sale vindicati ℥ ij. magisterij coralli rubei, & lapidis hepatitis ana ℥ss. magisterij lapidis magnetis ℥ j. olei hermarie herbæ ℥ss. extracti eiusdem ℥ j. olei consolida maioris ℥ss. extracti & tincturæ radicis eiusdem consolida maioris aceto stillatitio extractæ, aut succo limonum aut granatorum ℥ss. misce, reducantur in emplastri consistentiam, leuissimo calore, & fiant magdalia vsui reponenda.

Vires & vsus emplastri contra rupturam.

Vires.

- 1 Hernias infantium & puerorum quàm citissime curat, modò emplastrum superpositum optimè ligatum assiduè gestent.
- 2 Ossa fracta ad callum tutissimè ducit, & impedit, si sit vulnus, ne putrescat & ad suppurationem deueniat, sua astringendi & desiccandi facultate.

Vsus.

Vsus eius est vt extendatur massa illius, super alutam nouam, & parti affectæ calidè imponatur, & strictè ligetur.

De emplastro Sulphuris.

C A P. X.

emplastrum de sulphure.

EMplastrum de Sulphure reperitur in Antidotarijs vulgaribus, at sequenti methodo præparatum

paratum longè potentius agit, & vires suas diu-
tius seruat, nec fœtet vllò modo, vt commu-
ne illud de sulphure emplastrum. ℞. Cerae fla-
uæ puræ & recentis lb̄ j. olei rubci thereben-
tinæ ʒ ʒ. olei picis naualis vnc. j. lactis sulphuris
ʒ j. tincturæ sulphuris per spiritum thereben-
tinæ extractæ ʒ iij. olei ireos spagyricè præpa-
rati vnc. ʒ. florū sulphuris spagyricè præparatorū,
vnc. vj. misce, fiat emplastrum, & formetur in
magdalias vsui reponendas.

Vires & vsus emplastri de Sulphure.

Resoluit humores frigidos delapsos in thoracis
musculos: hinc phthisicis & tabidis cōuenit, *Vires*
& pleuritidi accommodatur summope-
re. Applicatur partibus affectis calidissimè, *Vsus.*
& fortissimis alligatur ligaturis, & ira alli-
gatum gestandum est, donec cesset affe-
ctus & curetur penitus: durat diuissimè eius
virtus quamuis assiduè gestetur & carni vi-
uæ appositum sit, nec inde calor naturalis
eius virtutem disperdere potest.

De emplastro pro matrice.

C A P. XI.

℞. Cerae liquatæ, & in vinum odoratissimum *Emplastrū*
proiectæ & peroptimè lotæ lb̄ j. salis ar- *pro matrice*
themisiæ, tanaceti, valerianæ, & nepetæ ana

vnciam β. olei earumdem vnc. j. extracti castorei & croci ana vnc. ij. olei succini rectificati vnc. j. falis margaritarum & corallorum ana vnc. j. β. extracti ex splene bouis vnc. β. falis, iouis, seu stanni vnc. j. falis melissæ & dictami ana vnc. β. misce, coquantur leuissimo calore, in emplastro consistentiam, & formetur in magdalias vsui reponendas, quarum vires nunquam senescunt.

Vires & vsus emplastri pro matrice.

Vires.

Secretum & arcanum est potentissimum in curandis omnibus vteri affectibus, & assidue gestatum sterilem vterum fertilem & fecundum reddit, roborato eius calore natiuo, & expurgato eius corpore, ab omnibus præter naturam recrementis.

Vsus.

Applicatur vmbilico calidè in forma rotunda, super alutam extensum, & sic ligatum vmbilico gestatur.

De emplastro vulnerario.

C A P. XII.

*Emplastrü
vulnerariü.*

℞. CERÆ flauæ in vino odoratissimo lotæ lb̄ ij. falis saturni vnc. j. falis lapidis calaminaris vnc. ij. falis corallorum rubeorum vnc. j. falis hypericonis vnc. ij. falis aristologie rotundæ vnc. j. falis cancrorum fluuiatilium

vnc. ij. salis vitrioli vnc. sem. florum antimonij
 vnc. j. croci martis vnc. iij. terræ exanimatæ vi-
 trioli vnc. ij. sanguinis draconis ꝓ iij. terræ si-
 gillatæ ꝓ ij. olei colophonix, & picis naualis, ana
 vnc. j. olei hypericonis, & aristologiae rotundæ
 ana vnc. ij. olei rubei therebentinæ ꝓ iij. olei
 opoponacis, galbani, serapini, ammoniaci, bdel-
 lij, carabes, citrini, aloës, hepaticæ, myrrhæ,
 mumix, ana ꝓ. s. magisterij hæmatitis lapidis
 vnc. j. misce, coquantur leui calore in emplastris
 consistentiam, & formetur in magdalias vsui re-
 cludendas: si non satis sit ceræ addatur maior
 quantitas, vt crassescat.

Vires & vsus emplastri vulnerarij.

Inueterata omnia vlcera, necnon recentia vul-
 nera, & ictus vbicumque sint, in quacum-
 que parte corporis promptissimè curat &
 agglutinat, putrefactionem inhibet in vl-
 ceribus & vulneribus: neruis truncatis, &
 contusis commodum & proprium est re-
 medium, cancri, fistulæ, & scrofularum est
 arcanum: in hernia puerorum curanda, &
 agglutinanda nihil efficacius. Superponitur
 partibus affectis, super alutam extensum:
 nunquam senescit eius virtus, & potentia,
 propter sales quos continet, in quorum ad-
 mixtione summa est industria adhibenda,
 nam difficulter permiscetur.

Vires.

Vsus.

De emplastro, gratia Dei, dicto.

CAP. XIII.

Emplastrū
gratia Dei.

℞. CERÆ flauæ, vt in prioribus emplastris præparatæ lb̄ j. olei mastiches ꝓ ij. resina, seu olei rubei therebentinæ ꝓ j. olei betonica, pimpinellæ, verbenæ, ana drach. ß salis earundem herbarum ana drach. ij. misce, & in leui calore coque in emplastri consistentiam, & dum calet, forma in magdalias vsui reponendas.

Vires & Vsus.

Ulcera mirificè curat, & serofulas ulceratas mitigat, detergit, & tandem, si non canerosæ sint ad cicatricem conducit. Vulnere etiam recentia citissimè ad cicatricem conducit, & propter laudatas & benignas eius dotes, gratia Dei appellatur. Pharmacopolæ vulgares præparant vulgariter cum herbis supradictis, & nihil in eius compositione ingreditur à fœculenta sua materia & crassitie repurgatum: applicatur partibus affectis super alutam extensum.

Finis libri octau.




D E

ELECTVARIIS TVM SOLIDIS, TVM LIQVIDIS.

LIBER NONVS ET VLTIMVS.

De electuario rosato.

CAPVT I.

℞.  Vcci rosarum rubrarum, depurati
in balneo mariæ lb̄s β. sacchari op-
timi ℥ viij. salis rosarum pallidarū
℥ β. extracti scammonæ ℥ iij. ex-
tracti diambraz, & santalorū omniū
ana ℥ sem. misce, coque lentè, in electuarium soli-
dum in tabellas parandum ponderis ℥ ij.

*Electuariū
Rosarum.*

Vires electuarij Rosati.

Purgat tutissimè omnes humores è longinquis vē-
triculi partibus, confert ad curationem colicorū
affectuū, & febres quotidianas curat. Dosis eius
est, drachmæ duæ in iusculo pulli dissolutæ, &
summo manè sumptæ, seruato regimine & cu-
stodia.

Vires.

Dosis.

De electuario Sanguinis humani.

CAP. II.

Electuariū
Sanguinis
humani.

℞. Salis fixi sanguinis humani ℥ ij. tincturæ rosarum rubrarum ℥ β. sacchari optimi ℥ iij. aquæ rosacæ ℥ j. coque in electuarium solidū, in fine decoctionis, adde arcani sanguinis lib. i. huius operis Cap. 8. præparati ℥ ij. ambari ℥ sem. misce, & projice in marmor frigidum, in tabellas parandum, ponderis drachmæ vnius, in loco calido, & hypocausto reservandas: vel coquitur tantum in electuarij liquidi consistentiam, quia difficulter coquitur in solidum electuarium.

Vires & usus electuarij Sanguinis humani.

Vires & do-
sis.

Vires æmulatur arcani sanguinis humani, & gratissimum, & suavissimum est electuarium Regibus, & Principibus dignum: accommodatur omnibus morbis, quia reparat & reficit summo pere humidum radicale: dosis eius est drachma vnica, summo manè deuorata, ieiuno stomacho.

De electuario Margaritarum.

CAP. III.

Electuariū
Margarita-
rum.

℞. Salis edulcorati margaritarum ℥ β. sacchari optimi ℥ ij. aquæ rosacæ ℥ j. coque in electuarium solidum: in fine decoctionis adde olei

anisi, & cinnamomi ana \mathfrak{z} \mathfrak{ss} . & fiant tabellæ ponderis drachmæ vnius, vsui reponantur in vitro clauso, & loco calido continendo.

Vires & vsus.

Electuarium hoc prodest summopere tabidis, he- *Vires*
cticis, & senibus, reparat humidum radicale, & *vsus.*
reficit summopere, cor exhilarat, & reliqua vis-
cera à pestilenti aura præseruat, & venenis ini-
micatur.

Sumitur ad pondus \mathfrak{z} j. summo manè, ieiuno
stomacho.

De electuario Corallorum.

C A P. IV.

C Oralla possunt simili methodo reduci in *Electuarium*
electuarium solidum, ac margaritæ redu- *corallorum.*
cuntur, modò communi via, & vulgari metho-
do dissoluantur in aceto stillatitio & conuertantur
in sal dulce, & purificatum solutionibus, & eua-
porationibus aquæ pluuiialis stillatitiæ fre-
quenter iteratis: hoc deinde sal purum & niti-
dum ad quantitatem \mathfrak{z} j. admixtum sacchari op-
timi \mathfrak{z} iij. & vnciæ vnicæ aquæ rosaceæ potest de-
coqui in electuarium solidum: in fine decoctio-
nis adde pulueris rosarum rubrarum, oleo vi-
trioli irroratarum, (vt perquamoptime rubescant,
& in puluerem tenuissimum, & impalpabi-
lem conuertantur) drachmas tres, & misce,
& proice in marmor frigidum, vt fiant tabellæ

344 *Myrothecij Spagyrici,*

ponderis ꝑ j. Notandum tamen est, pulverem rosatum siccissimum esse debere, & multoties irroratum oleo vitrioli, aut oleo sulphuris, donec placeat eius color rubeus; alioquin si humidus aliquo modo admisceretur, electuarium non possit coqui in solidam massam, quia oleum vitrioli impedit, propter glutinositatem suam in igne non euaporabilem.

*Vires & vsus electuarij Corallorum.**Vires.*

Fluxus omnes alui, diarrhœas & dysenterias cohibet & compescit, & menstrua muliebria nimis fluentia, sanguinem depurat, corruptionem inhibet, venena extinguit, & pestilentis auræ infestas mephytes impedit, ne cordi noceant: cor exhilarat, & cætera corporis viscera roborat, hæmatosim, & facultates hepatis fouet, & multiplicat, initia lepræ profligat, & omnia sanguinis vitia corrigit.

Vsus.

Sumitur summo manè, ieiuno stomacho, ad quantitatem drachmarum duarum, eundo deinde deambulatum, per horam integram.

De electuario Gemmarum.

C A P. V.

*Electuariũ
de gemmis.*

Gemmæ omnes, & lapides preciosi, vt rubini, Smaragdi, hyacinthi, in salè reducti, via & methodo chymicorum cõmuni, possunt efformari & co-

qui in electuaria solida, & in fine decoctionis addere possumus ad maioré efficaciam arcani eorundem lapidum, libro tertio huius operis descripti drachmam aliquam, & coquere ad ultimam perfectionem, & seruare in tabellas, in loco aliquo calido, veluti saccharata tragemata, quia aer frigidus fundit & liquat saccharum & sales.

Vires & vsus.

Electuaria de gemmis miras habent & stupendas virtutes in reficiendo corpore, hinc tabidis, heceticis & senio confectis corporibus summo-pere conueniunt: eorum virtus augetur & multiplicatur, si eis connectatur aliquid arcani lapidum preciosorum rubini scilicet, aut alicuius vltierius gemmæ, vel omnium simul mitorum, tunc teporis amulantur vires arcanorum quæ ad mixta sunt & cõnexa electuario solido. Dosis & methodus sumendi est, vt sumatur talis electuarij ʒj. & deglutatur summo mane, ieiuno stomacho, superdormiendo si fieri possit & potissimum in heceticis & tabidis id conuenit.

*Vires.**Dosis.**De electuario Alchermes.*

CAP. VI.

PLurimi est momenti apud vulgares medicos hoc electuarium, attamen parua est virtutis præparatum vt ipsi præparant, quia lapides & au-

*Con
Alcher*

rum quod ingreditur eius compositionem virtutem suam, & energiã cõmunicare non potest propter firmam & duram eius coagulationis compagem, quæ nisi diruatur, virtus eius insignis & mirabilis apparere non potest; quapropter chymica eius electuarij præparatione multò præstãtior est; aurum enim solutum reperitur, & à suo coagulationis vinculo liberatum, & lapides omnes itidem soluti sunt, & reliqua omnia depurata, depuratione vltima, ita vt electuarium præsens ita præparatum, sit totum formale & propterea actiuum: sequenti ergo methodo ita chymicè præparabimus: Imprimis tincturam granatorum keimes per succum pomorum odoriferorum depuratum extractam, puram, putam habebimus ad quantitatem ℥ j. & succum pomorum odoriferorum depuratum, ad ℥ß. spiritus rosarum vnc. ij. ex succo pomorum, & extracta tinctura granatorum, tinctorum, seu chermes, cum sacchari optimi quantitate sufficienti parabitur syrupus perfectè coctus: in fine cuius decoctionis, dum frigescit, alioquin enim euanesceret in auras, addendus spiritus rosarum, & quæ sequuntur, ambra crude minutim concisæ & spiritu malorũ granatorum dulcium dissolutæ vnc. j. salis ligni aloës drach. j. salis santali rubei & citrini depurati, & quantum poterit fieri edulcorati, ana drach. ij. olei cinnamomi drach. iij, salis lapidis lazuli, margaritarum, & corallorũ & Rubini ana drach. j. extracti moschi cum spiritu ex cortice limonũ extracto, drach. ß. auri potabilis, vel ad eius defectum, salis eiusdem drach. iij. vel eo deficiente auri tonantis quod facillimè est præparationis vnc. ß. mis-

ce, fiat electuarium incorporando omnia & permiscendo in syrupo prædicto, vase vitreo diligenter obturato vsui reponendo.

Vires & vsus electuarij Alchermes.

Hoc electuarium, si aurum verum potabile, aut eius arcanum libro nostro tertio huius operis descriptum suscipiat, vires superat auri potabilis communis in reficiendo corpore, in restituenda sanitate, morbos omnes quoscumque curando senectutem prohibendo, humidum radicale ne deperdatur & consumatur defendendo aut fortiter reparando.

Vires.

Hoc electuarium Regibus & principibus in delicijs esse deberet, & omni studio esset comparandū; facile enim factu est, nec eximię impēsæ. us vsus est, vt deglutiatur summo manè, ieiuno ventriculo drach. β. cum parum aquæ cinnamomi superpotatæ & cundo deambulatum in his qui bene se habent, ad conseruandam sanitatem: hecicis verò & tabidis somnus competit post eius sumptionem.

Vsus.

De Theriaca chymica.

C A P. VII.

Celebris est hæc compositio & multarum vi-
rium, etiam si cõmuniter cõponatur; quocir-
ca in votis fuit eius compositionem chymicam

*The-
chyn*

exhibere, quia virtus eius in infinitum quasi multiplicatur: beati & felices, qui talem confectionem secum habent, ea enim sola in longos annos, & toto vitæ suæ tempore à morbis omnibus liberi & vindicati, æuam transigere possunt: sequenti ergo methodo & via, facili negotio componetur. ℞. Extracti stillatitij succo limonum stillatio aut in balneo tepenti depurato ℥ ij. extracti pastillorum, hedichroi & pastillorum theriacalium spiritu vini facti ana ℥ j. carnis viperinæ spiritu salis conditæ, aut suomet sale ℥ vj. salis viperæ aut alicuius serpentis nostratis ℥ iij. olei piperis ℥ iij. olei opij thebaici aut nostratis ℥ iß. salis rosarum rubrarū vnc. ß. tincturæ rosarum ℥ ij. salis scordij, salis napi, salis iridis, salis zingiberis, salis rhapōtici, salis radicum quinquefolij, salis nepetæ, salis marrubij, salis petrolelini, salis stecados, salis costi, piperis longi, dictamni, iunci odorati nardi indicæ ana. ℥ iij. salis polijseseleçæ, thalaspameos, chamædryos, chamæpytyos, malabatri, nardi celticæ, gentianæ, anisi, fœniculi, cinnamomi ana ℥ iij. salis vitrioli ad rubedinem purificatione deducti ℥ ij. olei hyperici ℥ ß. olei cinnamomi ℥ j. olei anisi ℥ ß. cariophyllorum ℥ iij. olei thuris, & mastichis ana ℥ ij. spiritus therebentinæ ℥ iij. olei seminis dauci ℥ iij. sagapeni, opoponacis, asphalti, castorij, cætauræ maioris & minoris ana vnc. ß. salis Aristologiæ ℥ j. tincturæ eiusdē spiritu vini extractæ ℥ j. olei balsami veri si haberi potest vnc. iß. spiritus vini sumopere depurati & alcoholisati, donec odorem gratissimum & suauissimum acquirat ℥ ß. ß. incorporentur omnia & misceantur cum sufficiente quātitate mellis albi ab

*Sal viperarū
& serpentū
optime præparatus &
depuratus
est summa
theriaca &
vires superat
theriaca
vulgaris.*

omnibus recrementis suis depurati, vt fiat electuarium satis liquidum, in vitreis vasis fortibus & duris conseruandum, optime clausum ad vsus medicos incredibiles.

Hæc compositio sic præparata gratior & iucundior multò est, nec non etiam efficacior vt ipsa experiëntia fidem faciet: at si quis medicorù Galenicorum hanc compositionem impossibilem factu credat, ex essentiarum copia, ad quas comparandas incredibiles expensæ forent necessariae, deponat quæso hanc ex animo sententiam. Ego ipse iuro & Deum testor me ipsum posse, & chymicum quemuis pretio centenorum aureorum, hanc confectionem omnibus numeris absolutam & completam dare, & nullum est in hoc opere electuarium, arcanum, agisterium, aut aliquod aliud chymicum opus, quod pretium excedat quinquaginta nummorum aureorum, nisi copiam ingentem vna vice conficere in votis sit.

Vires & vsus Theriacæ chymicæ.

Virtutes & facultates theriacæ persequi in vanum esset: tot & tanta ipsemet Gialenus, aliique doctores medici de theriaca decantarunt vt repetere futile sit: omnibus tamen dicam morbis accomodatam esse theriacam nostram, & frequens eius vsus ab omni morbo tutum conseruare corpus & vitam in longius protrahere potest. Vfus eius est internus & externus: interius sumitur à quantitate \mathfrak{D} β . ad scrupulum vnum, summo manè deglutitum, parum vini, aut aquæ cinnamomi superbibendo, idque vacuo

Vires theriacæ chymicæ.

Vfus.

ventriculo:exteriùs applicatur morfibus venenosis & ictibus, pestilenti tumori, anthraci & vulneribus etiam recentibus medetur.

De Panchymagogo chymico.

C A P. V I I I.

Panchymagogum seu Catharticum generale & vniuersale diuersum & multiplex potest excogitari, admixtis quâplurimis simul essentijs & magisterijs ex rebus purgantibus extractis & elicitis: nihilominus tamen in lucem dabimus præsens hoc catholicum summum quidem, & tutissimum & iucundissimum, experiētia fidem faciet promissi. ℞. Syrupi rosarum nostra methodo parati ℥ j. huic adde salis colocynthidos ʒ j. salis turpeti gūmosi ʒ ij. salis hellebori vtriusque ana ʒ β. extracti scammonij ʒ iij. extracti sennæ & Rheub. optimi ana ʒ ij. salis ebuli, salis sambuci, salis esulæ, & cucumeris agrestis ana ʒ j. olei ebuli ʒ β. olei sambuci ʒ iij. spiritus ebuli, & sambuci ana ʒ ij. olei cinamomi & anisi & cariophyllorum ana ʒ ij. salis margaritarum & corallorum ana ʒ iij. misce, incorporentur omnia in syrupo prædicto rosarum solutiuo, & redigatur in electuarium liquidum vitreo vase vsui reponendum, optime clausum & obturatum.

Vires & usus Panchymagogi chymici.

d purgandum corpus nullum datur in re chymica potentius & tutius medicamentum; purgat omnes humores, & foras elicit è longinquis ventriculi partibus, & omnibus morbis adhibetur; præter hæcticis & tabidis, qui dulcius & debilius purgandi sunt, si purgatione indigeant vlla: solus syrupus rosatus solutius sufficit ad eorum corpora euacuanda.

Dosis huius medicamēti est ℞j. ad ℞ss. in vino optimo, aut aqua cinnamomi; aut cum mica panis albi potest efformari pillula vnica, aut duæ, aut tres ex illo scrupulo, & summo manè deglutiri, ieiuno stomacho cum regimine & custodia.

Conclusio totius Operis.

Scio, amice Lector, quamplurimos improbaturos fore, nasóque adunco suspensuros, hoc medicamentorum chymicorum antidotarium, tanquam aliquod nouum & inauditum opus. Hippocraticæ & Galenicæ doctrinæ incognitum, quam doctrinam inscitæ accusare velle crimen est, & inscitæ ipsius vitium in seipsum retorquere: Hippocrates enim & Galenus fuerūt summi in sua arte magistri, hoc fateor; at cùm non omnis ferat omnia tellus, artésque omnes & sciētia perfici non possint vno in sæculo, vt dictum est in capite libri primi, huius operis, & in Palladio nostro Spagirico probauimus multis in locis, nullis iniuriæ maculis & ignorantia nebulis famam & laudem diuini Hippocratis, & acutissimi Galeni afficimus, quod eorum inuentis, chymiam, hoc in

sæculo quàm in eorum sæculis notiorẽ addamus, eosque huius artis obliuiosos asseramus, non enim id illis ingenij imbecillitati, et temporis illiberalitati, & auaritiæ est condonandum, quod in progressu suo, & in partibus suis præstantiora & nobiliora quædam nobis sæpissime communicet, lumine naturæ magis clucescente, in vno tẽpore quàm in alio, in vna regione quàm in altera, ex diuerso solo, & cælo: sol etsi omnia collustrat, non tamen æqualiter omnia lumine perfundit, nec omnia tempora serena sunt, sed alia alijs clariora: florent iam artes omnes & scientiæ, & in posterum vegetiores erunt, Deo sic postulante & cælo, ex quo tanquam ex perenni, & inexhausto entelechiæ fonte, lumen illud naturæ, artium omnium & scientiarum fomes & fulcrum in nos descendit, per radios planetæ veneris impresentiarum sexta sua vice mundum regentis, & gubernantis, spiritu suo, & genio, tenebras & umbram naturæ, aliquatenus discutientis: vnde tot & tanta mentis humanæ acumina: at, proh nefas, & dolor! totum illud ingenij acumẽ, quod nobis omnibus iam cælũ elargitur, aleis, chartis, scottationi, luxui immodico, ædificationi, vestimentorum pompe, gulæ, & similibus ingenij humani quilibet impenditur, quod si omnes, quibus est è cælo illud naturæ lumẽ, vellet luminis illius radios omnes impẽdere ad naturæ cognitionem, secretiora videremus adhuc typis excusa, quàm excudantur. Quod ad me attinet nihil mihi erit secreti, quin liberali manu, omnibus porrigam, modò gratum sit hermeticæ artis alumnis, etsi non fugiat & euitet Zoilorum vngues quibus placere, displicere est.

I N S I G N E S
C V R A T I O N E S

17 XVII
182

V A R I O R V M M O R B O R V M,
quos medicamentis chymicis iu-
cundissima methodo curauit,

P E T R V S I O A N N E S F A B R I,
*Doctor Medicus Monspeliensis, Castri-
nouidarensis Philochymicus.*



T O L O S A E T E C T O S A G V M,
Apud P E T R V M B O S C A, Bibliopolam.

M. DC. XXVIII.

1850
OVER THE
MOUNTAIN
TO THE
SEA

THE
MOUNTAIN
TO THE
SEA



THE
MOUNTAIN
TO THE
SEA
MCCCLVIII



LECTORIBVS
 PETRVS IO.FABER
 DEVOTISSIMVS S.P.D.



RTEM Spagyricam
 cum plurimi vilipendant,
 in eorum confusionem &
 opprobrium, has omnes
 curationes apposui, ut his
 resipiscant, & tandem in-
 uitis eorum falsis opinionibus palinodiam
 canant; discent etenim, & videbunt expe-
 rientia ipsa, morbos quos curatu difficiles
 putant medici, & quos medicamentis vul-
 garibus pertinaces, & indomitos quotidie
 experiuntur, curatu faciles in quibus suis sub-
 jectis, medicamentis chemicis conspicient,
 non solum podagram, arthritidem, calcu-
 lum, tabem, quartanam, sed & lepram ex-
 perientur curatam fuisse spagyrica metho-

do nulla violentia, sed tuta iucunditate.

Hisce experimentis certissimè existimaui zoilorum nostrorum animos ab erroribus educere posse, eorúmque conscientias emouere, vt laudem condignam, honorémque debitum chymicæ arti, suis conuitijs furatum, tandem panegyrico decantato sermone, deuotè reddant: & vt infiniti alij eorum exemplo, ad eam nobilissimam artem addiscendam & honorandam, vtilitate quàm maxima pelliciantur.

Plus est vitæ restituenda, imò & conseruanda, facultatis & virtutis in solo antimonio spagyrica arte optimè preparato, quàm in totis pharmacopolarum communium antidotarijs, in quibus ornandis, & complendis tota ferè terra exhauritur, ortus nec occidens sufficiunt penuria illorum: Poli vtrique non sat gemmarum, & fructuum habent ad varias antidotariorum compositiones perficiendas, aërem quoque ferè omnem, mariúmque cauernas, & profundissimos gurgites visitant, vt hinc ali-

quid vitæ restituendæ & conseruandæ vtile exportare possint. Heu miseri! cur tantis laboribus & periculis ruri quaritis quod domi est, in centro metallorum & mineralium lateat quidquid esse potest in tota rerum natura, vitæ nostræ restituendæ, & conseruandæ efficax & vtile. Nihil inde mirum si metalla Planetis respondeant, hi etenim si nobis vitam impertiant, illa etiam iure merito & naturali, morbos propellent omnes, & amissam sanitatem labentemque restituent: nec Mercurium dicatis venenum, & antimonium, reliquaque mineralia. Quod ex his educunt spagyrici antidotum est, & vitæ fomes, quamuis ex medio veneni sit eductum: antidotarium prædictum, & curationes subsequentes fidem facient tanti facti. Si quis tamen adhuc est incredulus, abeat quæso desperatus in exterâs regiones, ibique comedat porcorum reliquias, cum illi non sufficiant domi paternæ oppipari cibi, si tandem tamen redeat paterna non frustrabitur benignitate, au-

reo decorabimus illum anulo, lautissimis-
 que saphorum mensis illum excipiemus, ibi-
 que sale sapientum glaucoma ab oculis de-
 pellemus, quo depulso fateri cogetur spa-
 gyricam artem philosophiae margaritam
 esse preciosam, spagyricosque artistas reli-
 quis omnibus praeferere Philosophis, ac ve-
 luti duris silicibus, pellucidi praeferent ada-
 mantes. Quod si mihi ipsi gloriam aucupa-
 ri hinc existimetis, id procul ab animo est:
 artis cuius laboribus inuigilo gloriam &
 honorem quaero, ostentationem autem pro-
 cul à me elimino, & à Lectoribus benignis-
 simis id saltem extorquere vellem, ne me
 ullius gloriolae avidum putent, sed spagy-
 ricæ artis acerrimum defensorem, cui tuen-
 da quicquid erit ingenij & industria liben-
 ter impendam, arcanaque sua in laudem
 honoremque ipsius Lectoribus pandere non
 recusabo, ut tandem ipsamet & ipse collatis
 hisce beneficijs, de his bene mereri valeamus.
 Valete Castrinouidarij, decimo Kalendas
 Maij anni 1627.



CVRATIO PRIMA

MANIÆ, ET GANGRÆNÆ.

*Omnia medicamenta chymica, qua in curandis morbis
 subsequenter omnibus impensa fuerunt, habes
 descripta omnia in Myrothecio: si sint desumpta
 ex animalibus reperies Libro primo: si ex vegeta-
 bilibus reperies in Libro secundo: si ex mineralibus
 reperies in Libro tertio, in Capitulis proprijs & pe-
 culiaribus, ubi reperies methodum faciendi dosim
 & usum; quocirca in curationibus subsequenter
 non repetam, ne actum agam, & fastidio sim Le-
 ctoribus, tot repetitionibus; nisi quadam peculia-
 ria medicamenta, ut Lectorem ab inquisitione eo-
 rum subleuem.*

I OANNES de Ruffinis, vir apud
 Fuxenses anno 1614. ob bonorum
 suorum, fructuūque terræ, illius anni
 amissionem, & caritatem annonæ, inci-
 dit in maniam, in qua curanda con-
 uocatus ego, curationē illius spagyricam aggres-
 sus sum. Itaque misso sanguine ex cephalica dex-
 tra ad quantitatem vnc. viiiij. summo manē, eod-
 em die vespertinis horis, arteriam temporalem
 dextram tutudi, & misi sanguinem ad vnc. vij.
 robustissimus enim erat ægrotus, ætatis 40. anno-
 rum, quadratæ staturæ, nigri capillitij, & tem-
 peramenti melancholici. Sequenti verò die, pro-
 pinatū est Antimonij præcipitatum, ex aqua com-

antimonium
seuum

muni, ad quantitatem granorum xx. fit autem præcipitatus iste Antimonij, ex gummi illo quod per distillationem educitur ex antimonio & sublimato vulgari, simul coniunctis: hoc gummi rectificatur ter aut quater, donec candidissimum sit & purum: deinde præcipitatur in aquam claram, limpidam communem, & agitantur simul in phiala vitrea, & tandiu lauatur pulvis albus, qui hinc præcipitatur, donec aqua dulcis sit, pereatque omnis acrimonia: deinde siccat pulvis, qui dici potest antimonium præcipitatum. Huius ergo præcipitati antimonij potione, multa sursum & deorsum eiecit, & euomuit, singulisque octo diebus, manè, ieiuno ventriculo, iterabatur eadem potio præcipitati antimonij. Reliquis verò diebus, sumebat summo manè, quantitatem drachmæ vnus, arcani sanguinis humani, in Myrothecio nostro descripti, cum granis tribus aut quatuor arcani opij, vel mandragoræ, aut iusquiami, & hisce solis medicamentis perfectè curatus est intra mensem, seruato victus regimine, frigido & humido; potabat enim frigidam, in eaque balneabatur sæpissimè. Inter curationem autem fuit vulneratus, in tibia dextra, repentino casu, & per incuriam illius vulneris incidit in gangrenam; ad quam curandam iterum vocatus cum Chirurgo, tetigi vulnus, & partes vicinas, vstas affluxu cansticantis humoris, oleo mercurij, seu gummi, superius citato; & post scarræ sublationem quam oleo vitellorum procuravi, vsus sum ad cicatrificandum vlcus, tinctura martis, & aristologiæ rotundæ, & perfectè curatus annuente diuino numine; etsi ab omnibus suis desperatus esset, &

adhuc viuit incolumis & saluus à primo & secundo morbo omnino liber.

*Curatio secunda Gangrenæ &
Melancholiæ.*

Bernardus N. deuotus admodum vir ætatis suæ 40. annorū ob studiorum feruentem operam, diuinarumq; rerum diurnam nocturnamq; contemplationem, incidit in Melancholiam simplicem, absque vlla febre cum vigiliis maximis & longis; ducebat enim menses integros insomnes, & hebdomadas impransas, ad quem curandum couocati sunt omnes medici, tum Tolosates, tum alij, qui fama aliqua & arte medēdi valebant, tentatisque in vanum omnibus remedijs per sex menses, curationem spagyricam tandem aggressus sum. Imprimis purgavi ipsum multoties antimonio præcipitato superiori; deinde per quindecim dies vsus est singulis diebus sero, cundo cubitum, arcano Lunæ, & arcano iusquiami ad granorum viginti quantitatem in ꝑ. spiritus violarum, & sic perfectè curatus, seruato victus regimine frigido & humido, potando aquam frigidam, in qua etiam sæpissime balneabatur. Incidit etiam vulnere recepto in tibia sinistra in gangrenā, quam etiam curavi simili methodo, & iisdem medicamentis, oleo putà mercurij, & antimonij, & tinctura martis, & Aristologiæ rotundæ, & sic conualuit: at paucis abhinc mensibus incidit in quartanam quam iamiam curatam videbimus.

Curatio tertia Febris quartanae.

Idem ergo vir N. eodem anno 1614. incidit in febrem quartanam, cum tumore pedum & infimi ventris, & dolore ventriculi summo & nausea quotidiana; at breuissimè curatus fuit nostro antimonio præcipitato, febrifugo, & arcano vitrioli nostro, in aqua cinnamomi: ad quantitatem autem propinabatur decem guttarum illud arcanum vitrioli, in aquæ cinnamomi Ꝟβ. idque summo manè, ieiuno stomacho: vsus est etiam per aliquot dies arcano tartari, & tinctura seu extracto theriacis, & sic curatus est, & vixit per multos annos ab omni morbo liber.

Curatio quarta Febris quartanae.

Eodè anno Dominus de Caillauel, nobilis admodum vir, ætatis 25. annorum, præaltæ staturæ, & gracilis corpore, melancholicique temperamenti, quartana fuit detentus per sex menses; omnibusq; tentatis remedijs Galenicorû in vanum, vsus est bis aut ter antimonio nostro, & arcano tartari, & potu vini puri, victusque regimine calido, & humido, & sic absque vlllo alio tentato remedio euauit febris, nullis omnino relictis symptomatis.

Curatio quinta febris Quotidianæ.

Antonius Faber, Canonicus nostræ Ciuitatis, nunc Capucinorum Religionem profitemus, anno eodem detentus fuit quotidianæ febris symptomatibus, cû dolore ventriculi, & nausea perpetua; imò & singultu, qui ipsum summopere vexabat, vnica dosi antimonij nostri perfectissime curatus fuit.

Curatio sexta Schirrofi tumoris, & mania.

ANno eodem Marcus de Gaillard, ætatis 25. annorū loci du Mas Sainctes-Puelles, schirrofo tumore vexatus in crure dextro, nullam inflammationem, nullūque dolorem, nisi frigus summum in ea parte persentiens, vocavit me, vt ab eo tumore liberarem: itaque eiecto enemate communi ex decocto emollientium & carminantium, misi sanguinē ex brachio dextro, ad quantitatem ʒ viiij. sequentibus diebus purgatus fuit, tribus dosibus iteratis antimonij nostri: deinde applicatum fuit, balsamum sulphuris, ex descriptione Rulandi, cum suo emplastro de sulphure: peruncta hac parte & perfricata oleo tartari cum spiritu vini alchoolisato, & sic intrā paucos dies euauit omnino tumor, per insensibilem transpirationē: at fuit deinde toto anno melācholicus, tristis admodum, & taciturnus, vigiliis que summis vexatus, & appetitu deiecto: incidit intrā sex aut octo menses, post curationē illius schirrofi tumoris in mania: vocatus ego iterum à suis parentibus misi sanguinem ex cephalica ad animi deliquium; erat enim inuenis admodum fortis, & quadratæ staturæ: sequentibus diebus purgavi ipsum, extracto hellebori albi, & antimonio meo, per sex dies: & deinde per sex alios dies balneans ipsum frigida aqua, actu; erat enim mēsis Iulij, in quo calores vigebāt satis: & sic seruato regimine victus humido & frigido, frigidā potando, spiritu violarū alterato perfectē intrā mensem curatus est & adhuc viuit sanus, & ab omni morbo liber, magno

*oleum
tartari
cum spiritu
vini*

christianæ religionis incommodo, bellator enim strenuus est, vel potius dicam latro audacissimus, qui in hoc ciuili Gallico bello in itinere magno circa locum Castrinouidarij & du Mas, quamplurimos bonis & vita spoliauit.

Curatio septima meliceridis tumoris in palpebra superiori oculi dextri.

ANno 1615. Germanus Delpy, deuotus & pius admodum Presbyter loci de Vignonet ætatis 35. annorū tumorē satis durum in palpebra superiori oculi dextri habuit, nucis auellanae magnitudine: originem autem duxit hic tumor, ex vnctione mercurij crudi cum butyro malaxati, vt à scabie liberaretur. Ab illa vnctione statim ortus fuit ille tumor: itaque vocatus curauī ipsum perfectissimè solo litu olei mercurij & antimonij, seu aceto minerali superius dicto. Vlcus deinde ad cicatricem conduxī diachilone magno, & diapalma, oleo vitellorum duorum dissolutis, & in vnguenti consistentiam reductis, & parti applicatis: & sic perfecte curatus est illæsa palpebra, ita vt iam nulla appareat cicatrix, viuit enim adhuc incolumis & sanus.

Curatio octaua Pleuritidis.

ANno eodem 20. die mensis Aprilis, Maria Faber, filia fratris mei, ætatis 10. annorum incidit in febrem ardentē cum tussi, & exspuitione

sanguinolenta, & dolore summo lateris sinistri, cum maxima respirandi difficultate, magnoque pulsu & veloci. Itaque vocatus primo ipso die, postquam enema eiecit emolliens & refrigerans, misi sanguinem ex basilica sinistra partis dolentis, ad quantitatem vnc. vij. & dedi sequenti die summoque manè grana viginti antimonij mei sudorifici, in vino optimo: & statim applicato balsamo sulphuris, & emplastro eiusdem sulphuris ex descriptione Rulandi, super latus dolens, quieuit dolor eodè die, & euauit febris post sudores nulla alia facta crisi: & sic perfectè curata fuit, & plures alios curavi eadem methodo & via.

Curatio nona febris. Quartana.

Ioanna de D. loci de Belpesch, serua & ancilla fratris mei, quartana detenta fuit per sex menses; anno eodem, vt ipsam curarem purgaui eam croco metallorum per quatuor dies continuos, propinata dosi singulis matutinis horis granorum duodecim in vino optimo: deinde iterum purgaui bis extracto hellebori nigri, diebus ipsius paroxysmi, & propinata tinctura theriacæ ad quantitatem vnc. j. summo manè, ieiuno ventriculo, perfectissimè curatà fuit intrà quindecim dies, nullis relictis symptomatis, & adhuc viuit incolumis præsentis anno 1625.

*corpus
mortalis.*

Curatio decima Pleuritidis.

ANno 1626. circa mensem Septembris vxor Iacobi Plauty pauperrimi cæmentarij, vi-

victum suum, & vxoris suæ, filiorumque suorum ex operatione sua quotidiana quærentis, ætatis 40. annorum decubuit, cum febre ardentissima, dolore lateris dextri, exspuitione cruenta, & maxima respirandi difficultate, vrinis admodum rubeis, pulsuque magno & veloci: itaque primis ipsis diebus vocatus medicus dogmaticus, doctus quidem, & expertus admodum, præscripsit illi omnia quæ conferunt ad tutam curationem pleuritidis, nec vlla dogmatica oblitus est: omnem denique voluit lapidem, tentauitque remedia cuncta Galenica, vt morbum depelleret. Desperatis tandem rebus omnibus, nono die, nulla adhuc facta crisi, & vigentibus omnibus symptomatis, vocatus ego inueni ægrotantem delirantem & phreneticam, cui illico, nullo alio adhibito consilio, quia premebat medendi summa necessitas, dedi drachmam semis arcani sanguinis humani; cum drachma semisse cinnabrij rubei nostri sudorifici, ex antimonio & mercurio sublimato præparati, & post gummi quod ex his per distillationem elicitur, educti, cum ζ j. aquæ cinnamomi. Asumptione illius medicamenti statim quieuit, & somno irrepto sudor vniuersalis totum corpus occupauit: itaque sudauit toto illo die copiosissimè: sequenti die inueni eam optimè ratiocinantem, & ab omni delirio liberam; at vigeabant adhuc symptomata alia: itaque decimo die iteravi dosim eorundem medicamentorum, ne critico diei superiori, sudoris causam tribuerem, iterumque dormiuit, & sudauit toto illo die decimo.

Vndecimo sequenti die, quia adhuc supererat febris, & alia symptomata, at valde mediocria, iteraui eandem dosim, dormiuit iterum, & sudauit, & hora quinta post meridiem fuit ab omni febre libera, & ab alijs omnibus symptomatis: supererat tamen nonnullus in eodem latere dolor, itaque applicaui emplastrum superius de sulphure, quod ex ceræ colophonix æqualibus partibus, & semiparte myrrhæ, & æquali omnium pondere balsami sulphuris, vt in sufficientem emplastri consistentiam reducatur constat; & dedi iterum vnicam dosim præscripti medicamenti, & iterum dormiuit, & sudauit, sudore absterfo fuit ab omni dolore libera, & viuit adhuc potens & robusta mulier.

*Emplastr.
Sulphuris*

*Curatio vndecima, suffocationis, Epileptici insultus, & pallidi coloris,
& aliorum.*

EOD E M anno Maria de Charles 20. annorum virgo fuit apud Tolosates, quamplurimis afflicta morbis grauissimis admodum: singulis enim diebus suffocatione premebatur, à syncope & animi deliquio illo redempta, delirio tenebatur & conuulsione totius corporis. Postquam hæc symptomata,

mitigata erant , perdurabant tamen aliquando per quindecim dies , inuitis medicis Tolofatibus , dolore grauiffimo & acutiffimo arteriarum temporalium premebatur : ibi ingentes eiulatus & clamores erant , & fi aliquando dolores hi remiffi viderentur , melancholia fimplex ægotantem noftram tenebat : itaque videbatur hæc nobilis puella cadauerofa omnino , pallidiffimi coloris & viridis , ita vt & ictero laboraret , virgineo morbo , qui erat centrum & origo reliquorum omnium morborum & fymptomatum : permãfit autem incurata per quatuor , aut quinque annos à decimo quinto anno , vfque ad vigefimũ : cõuocati tamen fuerunt omnes medici Tolofates , vt eam liberarent & faluam facerent ; desperatam tandem reliquerunt & tempori curam cõmiferunt , eam relegantes ad natalẽ suam domum loci de Folcarde , vbi natali fuo acẽ , & amicorum parentũ-ve confabulatione putabant tandẽ eam ad fanitatem redituram fore : nihilominus tamen permanfit per multos aliquos menses ijsdem morbis afflicta , & cum maiori grauitate & afperitate vigeabant fymptomata . Ita vt cum eflent omnia desperata vocatus fui , & percontatus fum quibus medicamentis Tolofates medici eam ipfam puellam tractauerant ; itaque vidi enemata præfcripta fuiſſe carminantia , & emollientia , Apozemata , iulapia , menses prouocantia , balnea , vnguenta , Emplaſtra , embrocationes , multaque alia medicamenta , quæ lubens omitto , ne tædium pariam ; ita vt cum animaduertèrem morbum hunc medicamentis Galenicis non potuiſſe curari , at potius exaſperari ,

exasperari, curatione Spagyricam aggressus sum: imprimis percontatus sum quibus alimentis ipsa ægotans uti solebat, & inueni, toto vitæ suæ tempore aquæpotam fuisse, carnes omnes respicere, & iuscula carniū: utebatur solum fructibus omnis generis, & ouis cum pane coctis, & iusculis oleo, & herbis quibusdā alteratis. Quamobrem mutavi illius victus regimen, vinum pedetentim assuefacere præscripsi, donec purum biberet, & regimen victus totum erat calidum & humidum: deinde præscripsi salem vitrioli, in aqua arthemisiæ dissolutum, ad quantitatem drach. j. in vnc. j. aquæ arthemisiæ. Tanta fuit huius medicamenti virtus, ut ferè omnia symptomata tanti morbi recesserint; vomuit enim quamplurima pituitosa, primò & vltimò viridia & flaua, maxima quantitate: hoc solo tantum vsa medicamento, & balneo vini cum tartaro, curata perfectè fuit intrà octo dies: cuius tanti beneficij memor ipsa puella, prædiues admodum, & nobilibus orta parentibus, se, suaque omnia, magna adhibita cautela ex mea parte, mihi ipsi in matrimonium legitimum tradidit, & contulit: ex cuius honestis amplexibus contra medicorum omnium opinionem filios pulcherrimos habeo.

*Curatio duodecima, Histericæ
passionis.*

Nobilis Domina de Montagut, castissima
vxor Domini de la Barre, loci de Faïa, anno

eodem, circa mensem Septembris parturit feliciter, & à partu ob incuriam & inscitiam obstetricis mulieris ex cochijs retentis, incidit in histericam passionem, decubuit tribus integris diebus semimortua, absque pulsu apparenter, sine voce & respiratione sensibili, oculis clausis, & medio infimo corpore, frigida: à parentibus & à suo carissimo coniuge vocatus sum, vt discernerem, num penitus mortua esset, vt sepulchro mandaretur: cogitabant enim omnes de funebri pompa potius, quàm de sanitate restituenda. Inueni ergo ipsam in lecto iacentem, sine pulsu, sine voce, sine respiratione, candelam enim accensam ori, naribusque appositam nullo pacto difflabat, calore tamen satis blando membra sua ferè omnia fovebantur, rigida tamen, & conuulsa omnia erant. Iuscula, vinum, & aqua in os iniecta indeglutita manebant, clysteres iniecti manebant in intestinis absque villo effectu, cucurbitulæ cum multa flamma, & profunda scarificatione applicatæ fuerant cruribus, & tibiærum suris, frictiones durissimæ factæ, adeò vt excoriata fuerat, mortuam esse, aut morti proximam esse credens de reditu cogitabam. Attamen prius tentavi remedium sequens: sumpsi salem vitrioli in Palladio meo descripti, & in aqua saluæ dissolui; quantitas autem erat salis ζ ij. aquæ saluæ ζ ij. & primò in os ægrotantis inieci cochlearia duo aquæ imperialis, deglutita tandem absque motu euidenti illa aqua imperialis, subtilis enim erat admodum & rectificata, iterum inieci salem meum vitrioli dissolutum in aqua saluæ, & apposui aquam imperialem simul, vt virtute aquæ imperialis deglutiret

medicamentum stimulatō calore gutturis, & musculorum laryngis, acrimonia aquæ imperialis, deglutijt tandem omnia cum aliquo motu perceptibili laryngis: duabus horis transactis à potione illa sumpta, copiosissima eiecit multa biliosa per anū: itaque mutatis linteamentis, & epithematis appositis cordi ex aqua imperiali, & aqua cinnamomi, cum confectōe alchermes, guttisque nonnullis olei cinnamomi, iterum eiecit quamplurima biliosa porracea per anum, & ex vtero quamplurima nigra, fœtidissima, putrida, & malè olentia: aperit tandem ab eiectione illa oculos, & respiravit satis libere, & voce dolenti conqueſta est: sequenti verò die post multas tota nocte eiectiones, perfectè locuta est, & nouit omnes. Dedi iterum eandem portionem salis vitrioli, cum aqua imperiali, & saluie, & vomuit multa pituitosa & biliosa, & apertus est vterus omnino, & fluxere cochia copiosissimè, & cōualuit omnino, & adhuc viuit, & est mater multorum filiorum. Quamplurimas ego deinde curavi similes suffocatas mulieres, imò & virgines.

Curatio decima tertia, calculi Renum.

ANno 1617. circa mensem Septembrem, Antonius Colum, dictus Darengue, crudelissimo dolore renū diuexabatur, cum vrinæ difficultate, & cruris dextri paralyſi, & ambulandi impotentia: postquam remedia omnia dogmatica & vulgaria expertus est, à me ipſo præscripta, qua si desperabam de salute ipsius; suspicabar enim calculum magnū in renibus & vesica, tandem vt omnia tentarem, purgavi prius quater, per quatuor dies

continuos absque vlla intermissione, croco metallorum, quod est antimonium vstum, cum sale nitro, & aqua deinde communi lotum. Deinde dedi mercurium sudorificum, per sex dies, vt pituitosos, serofosque humores, quos & mercuriales dicimus discuterem: interim potabat aquam saxifragiæ cum spiritu acido mercurij: est autem hic spiritus extractus ex gummi antimonij, & sublimati mercurij, dum puluis albus & purgans præcipitatur per aquam communem: aqua acida redditur, & per distillationem separatur aqua communis, & vltimo stillat spiritus acidus mercurij, & antimonij, saxifragus, quo vltus sum in hac cura. Curatus enim fuit intrâ quindecim dies, & liberatus à dolore, & reliquis omnibus symptomaticis, sabulosa materia copiosè eiecta, per vrinas, imò & sexaginta calculos, ossium dactylorum magnitudine vrnali meatu eiecit.

*Curatio decima quarta, Febris Hæctica,
& Gonorrhæa.*

Petrus de Caillauel ætatis 25. annorum, nobilis admodum adolescens, anno eodem, ex Lutetia Ciuitate gonorrhæam virulentam domum exportans, conuocatis Medicis Tolosatis, & medicamentis omnibus expertis, per quinque annos integros incuratam seruauit gonorrhæam illam; inciditque tandem in febrem lentam, cum alui fluxu quàm fœrido. Atrophicus factus omnino, & desperatus, vocauit me, cui dedi per quindecim dies, in lacte humano è mam-

ma recenter extracto, quindecim guttas arcani sanguinis humani, cum totidem guttistincturæ coralli, idque summo manè, ieiuno ventriculo: in potu ordinario utebatur ptisana ordinaria cum spiritu violarum, & spiritu acido mercurij, & tinctura auri, oleo vitrioli rectificato extracta, in iusculis suis utebatur. Ex horum medicamento- rum vsu absque vilo medicamento cathartico, intrà mensem curatus est perfectè, & fuit à febre, ab alni fluxu, & gonorrhœa sua vindicatus & liberatus, & intrà tres alios menses subsequentes, in pristinum suum statum, floridum colorem, vigorem; & carnosum habitum redactus, & tunc temporis matrimonio iunctus puellæ formosissimæ, habuitque filios pulcherrimos.

Curatio decima quinta, Febris quartana.

ANno eodem, Dominus de Vernes Iuris- peritus, tunc patronus & causidicus subtilis, nunc Regius Consiliarius, ætatis suæ triginta annorum, ob studiorum suorum feruentem operâ, & vigilias in his impensas, cruditates ingentes contraxit & apexias: ab his incidit in quartanam febrem: tentavit multa remedia Galenica & Chymica, sed in vanum, inuitis his omnibus perdurabat febris: præscripsi regimen victus calidum & humidum, potabat vinum purum, & summo manè utebatur hipocratico vino, & aqua cinnamomi, & intrà mensem perfectè curatus est, per sudores copiosos, quos singulis diebus per poros corporis natura ipsa valente & robusta, victu tali refocillata, eiciebat.

*Curatio decimasexta, Fistula testiculi
dextri.*

ANno millesimo sexcentesimo decimo octavo, circa mensem Martium, Reuerendus in Christo Pater, Ioannes de Bourgogne, Religionem Capucinorum profitens, & tunc temporis Quadragesimam prædicans, apud sanctum Papulum, incidit in tumorem testiculi dextri prægrandem: tractatus à Medico experto, & famofo, suppuratus est tumor, & Chirurgico instrumento apertus magnam copiam puris laudati eiecit: mansit apertum vlcus per multum tempus, nec ad cicatricem potuit perduci quin saniam semper, & aquosum quid valdè fœtidum percolaret præduro testiculo factò, cum labris præduris, dolore ingenti, inflammatione summa, adèò vt Medicus eius de amputando testiculo cogitaret, & amputasset si annuisset Pater ægrotans qui prius efflagitabat consilium meum hac in re. Itaque vocatus visitans ipsum, sequentibus remediis curavi. Lauavi imprimis vlcus aqua frigida, & inieci in illud, syphone, essentiam martis, & apposui testiculo linteamenta madida spiritu violaceo, cum spiritu mercurij acido, & intrà diem vnum euanuit inflammatio, & tumor, & dolor omnis, & Deum testor, intrà sex dies perfectè curatus est, & ad cicatricem conductum vlcus, nullis adhibitis aliis remediis quàm suprà citatis: viuit adhuc Pater, qui horum omnium testis est, cum omnibus aliis Re-

ligiosis Capucinis, qui Conuentum Castrinoui-
darensem habitabant tunc temporis.

*Curatio decima septima, Faciei vsta à
pulvere tormentario.*

ANno eodem, circa mensem Iulij, Domi-
nus Dacher, Patronus & Causidicus Castri-
nouidarenfis, à pulvere tormentario quem igne
tenui in catino stanneo desiccabat, concepta de-
repente flamma combustus est omnino, facie &
manu quam in catino tenebat: vocatus illico in-
ueni eum prætumida facie & capite, absque vllis
pilis & pelle in facie: manus verò dextra carne
tota exspoliata erat: dolores erant adeo atroces, &
summi vt conuulsione teneretur: butyro satur-
ni illico applicato, cum spiritu iusquiami, & man-
dragoræ, & aqua rosacea, & frequenter mutatis
hisce medicamentis, vt acrimoniam salis nitri
combusti retunderent, intrà tres aut quatuor ho-
ras quieuit dolor, & intrà sex aut octo dies, per-
fectè curatus, solo butyro saturni, & oleo vitel-
lorum ouorum: fit autem istud butyrum, ex mi-
nio, cerusa, aut lithargyrio, in aceto optimo, ebulli-
to, acetum illud clarificatum & filtratum con-
iungitur cum oleo violarum aut oleo vitellorum,
& agitatione summa conuertuntur hæc duo in
butyrum quod dicimus saturni: arcanum com-
bustorum omnium, vt diximus in Chirurgia no-
stra Spagyrica, Capite de Combustis, Libro tertio.

*Curatio decima octava Gonorrhææ
virulenta.*

IOannes Dannette, anno eodem gonorrhæa virulenta vexatus per quatuor annos, curatus tandem fuit, spiritu camphoræ & therebentinæ, purgato prius corpore antimonio nostro, & dato illo camphoræ spiritu, ad quantitatem $\text{ʒ} \text{ʒ}$. in $\text{ʒ} \text{j}$. succi limonum: repetitis dosibus tribus curatus est absolutè.

*Curatio decima nona, Carnosæ substantiæ
in meatu vrinario adnata.*

Petrus de Sancto Saturnino, robustus admodum, & fortis adolescens, ætatis 25. annorū, eodem anno, ob perpetuas gonorrhæas, quas variis in annis passus erat, incidit in vlcus vrinæ meatus in quo agglutinando natura fungosam produxerat carnem, ita ut vrinæ meatus impediretur. Chirurgorum vulgus appellat hunc morbum virgæ carnositatem, quam sequentibus remediis curauimus: candelas tenues parauimus ex cera alba, cui admiscuimus antimonium crudum, tenuissimè tritum, & beneficio harum candelarum apertum meatum vrinæ tenebamus, & leui & insensibili corrosione carnem superfluam sustulimus: perungebamus etiam aliquando candelas eiusmodi spiritu mercurij acido, & recenter perunctas iniiciebamus in vrinæ meatum,

ibique sinebamus longo tempore; deinde vgebamus eadem candelas oleo vitellorum ouorum, & sic breuissime curauimus intrà hebdomadam, carnositatem illam absque recidiua vlla.

*Curatio vigesima, Quartane
duplicis.*

MAria de Polastre filia Regi; Consiliarij Castrinoidarensis, annos nata 8. afflicta fuit per tres, aut quatuor menses, quartana duplici, cum nausea fere perpetua, tumore pedum, ventrisque inferioris, cum schirrosa & prædura hepatis, & lienis regione: curauimus autem ipsam etsi desperatam omnino à parente suo, Domino de Polastre Regio Consiliario, sequentibus medicamentis. Preparauimus imprimis humores tenaces, & viscosos iulapijs attenuantibus & aperientibus, oleo vitrioli alteratis, per octo aut decem dies, peruncta quotidie regione hepatis, & renum oleo succini albi, seu carabes. Deinde dedimus illi grana decem antimonij nostri, in cochleari vini optimi, quo multa pituitosa, biliosa, & melancholica, foetida, & putrida sursum & deorsum eiecit. Deinde iterauimus iulapia aperientia & attenuantia, & sic intrà duos menses euauit febris, & omnia alia symptomata, præter spem & credulitatem suorum parentum, qui filiam hanc cum carissimam præ cæteris haberent, salutem illius à Deo precibus suis obtinuerunt.

Curatio vigesima prima, febris Quartana, & Icteri nigri.

Filiola Domini de Vernes, Regij Consiliarij Castrinoidarenssis annos quatuor tantum nata, fuit circa mensem Septembris, anni 1618. febre quartana simplici afflicta, permansitque febris in suis typis integris & immutabilibus per septem menses: deinde apparuit icterus niger per totum corpus, & vomitus fere perpetuus, cum tumore satis duro in regione lienis; nigerrimæ verò erant urinæ. Vocatus ego tunc temporis; antea enim vocatus non fueram, nec alius medicus, vidi filiulam illam, & de salute illius multum speravi, propter urinam, quam magna copia eiciebat, itaque præscripsi iulapia aperientia oleo vitrioli alterata per quatuor dies, serò & manè sumenda, & vinum modicè dilutum aqua ptisana gramine alterata, & candenti calyce calybeata: hisce diebus transactis dedi grana decem antimonij mei, quo multa absque vlla violentia sursum & deorsum eiecit nigerrima & fœtida, qua sola purgatione euauit febris, & pedetentim deinde euauit icterus & tinctum est corpus florido, & viuido colore, & adhuc viuuit incolumis & salua filia.

*Curatio vigesima secunda, febris
Pestilentis.*

ANno 1614. vixit febris pestilens per totam nostram regionem, qua omnes fere vexati fuerunt, quamplurimi verò extincti, salui autem multi euasere sequenti methodo. Primis ipsis diebus antequam exanthemata rubea vel nigra apparerent eiecto enemate emollienti & refrigeranti sanguinem mittebam magna satis quantitate, repetita phlebotomia, ne vires ægrotantis disperderentur: sequenti statim die, secundo, aut tertio ab incursu febris dabam grana viginti antimonij mei, quibus multa sursum & deorsum eieciabant, & in multis cessabat febris, & omnia symptomata, & bene valebant; in multis verò non, at persistebat: his autem iulapia præscribebam refrigerantia & alexiteria ex decocto pentaphylli, acetosæ, berberis, & similibus cum oleo vitrioli, quo semper vsi sunt, & diebus criticis utebantur cum confectioe alchermes, bezoattico minerali, quod est antimonium sudorificum, hacce methodo mille curati sunt, inter quos fuit nobilis de sancto Stephano, Dominus de la Pomarede, Dominus de Baraigne, & tota sua domus, Dominus Douradou, Regius Consiliarius: & alij quamplurimi nobilissimi viri, qui Regem nostrum Ludouicum in obsidio vrbis Montis-Albani comitabantur anno 1621. simili methodo, ab hac pestilenti febre

liberati fuerunt, & hi omnes qui meo antimonio semel in mense utebantur, præseruati sunt illæsi & intacti ab hac contagiola febre.

Curatio vigesima tertia, Variorum ulcerum per totum corpus.

Petrus de Turies ingenuus adolescens mercator, annos 25. natus, ob prauum vitæ suæ victus regimen, dum mercaturæ suæ tyrocinium Tolosæ faceret, incidit in scabiem profundam & ulcerosam per totum corpus, cum febre lenta, quæ noctu exacerbabatur. Medicati sunt Tolosates Medici ipsum, purgationibus, phlebotomijs & balneis; scabies autem exacerbata fuit potius quàm curata, & conuersa est in vlcera profundissima, cum crustis liuidis & plumbeis variegatis, ita vt lepra videretur: impotens itaque factus, à suo Domino mercatore veniam petijt, vt Castri-nouidarium peteret, sanitatémque ex me; Deo annuente, expetere posset; venit tandem & sequenti methodo ipsum curatus sum. Misi iterum ego sanguinem, vt & medici Tolosates fecerant, sanguinémque inueni putridum omnino, & corruptum sepi coloris, non sanguinis. Itaque sequenti die à missione sanguinis, dedi illi grana quindecim croci metallorum, & per tres dies purgavi ipsum, iterata simili dosi. Præparavi deinde humores iulapijs aperientibus & alexiterijs, oleo vitrioli alteratis, & vsus est hisce iulapijs per decem dies: his transactis purgavi iterum ipsum ter antimonio meo cathartico: deinde per sex dies

usus est diæta attenuanti & sudorifica ex extracto gaiaci, cum aqua cardui benedicti parato: sumebat autem huius extracti ζ iij. singulis matutinis horis, cum drachma semisse antimonij sudorifici mei, & omni arte adhibita sudabat quàm maximè in lecto coopertus: interim sua vlcera, tangebam spiritu mercurij acido, & balsamo tartari, & sic perfectè curatus est intrà viginti dies: in quorum sine misi iterum sanguinem ex basilica dextra ad quantitatem ζ iij. & inueni laudatissimum sanguinem, & sic ipsum dimisi, & viuit adhuc incolumis.

Curatio vigesima quarta, Lupi.

ANno 1619. Petrus de Fausse, loci de Baraignes, Faber ferrarius, incidit in tumorem schirrosum prædurum in tibia dextra, anno suæ ætatis 35. tumor iste primis mensibus indolens fuit, sexto autem, aut septimo mense dolor aliquis aduenit, & prætumuit pes totus: ipsemet impatiens ferro candenti tumorem aperuit; nihil autem ex apertura resiliit, nisi quid saniosum: apposito autem vnguento ex oleo rosaceo & vitello oui, exacerbatus est valde tumor, & dolor, in molèmq; maiorem extumuit pes omnis: ipse verò ægrotans quia pauperrimus erat nullos medicos, nec chirurgos vocauit; sed vt sanitatem illi, filijsque suis, & vxori necessariam restitueret Deus, votis efflagitabat. Itaque adueniens ego fortuitò, domi suæ inueni ipsam ægrotantem huiusmodi morbo, visitaui ipsam, & inueni vlcus

cancerosum, lupum dictum, perfectum omnino & absolutum, labris magnis & præduris, quamplurimis venis nigris & liuidis circumdatum, dolore ingenti & acerbissimo concomitatum: ægrotantem verò inueni febre lenta afflictum, facie plumbea & gracili corpore. Itaque hisce sequentibus medicamentis dedi opem illi citam & tutam: purgavi ipsū imprimis antimonij mei dosibus quatuor, per quatuor dies propinatis: deinde arcano sanguinis vsus est per quindecim dies, cū extracto veronicae. Deinde iterum purgatus antimonio meo, & interim lupi seu vlceris carnes fungosas & superfluas gladio candēti sustuli ad os vsque, fossile magnum, fossileque minus, eaque carne obducta inueni. His actis oleo mercurij totū vlcus, & carnem superstitē vlceris tetigi, post scarrum decisum oleo vitellorū ouorum vsus sum & extracto Aristologiae rotundae, vt mundificarem vlcus, quod breui factum est, & solis illis medicamentis, regimine virtus obseruato euchymo, calido & humido, ad cicatricem laudatam conductum est vlcus, & curatus est perfecte ab illo vlcere absque recidiua, petijtque Castra Montis-albani, ibiq; mortuus est non impetu martis, at impetu febris pestilentis, quæ tunc temporis viguit maximè.

*Curatio vigesima quinta, Herpetis totam
manum occupantis.*

Michaël Sartor Castrinouidarenſis, anno eodem, manum dextram habuit contaminatam herpete miliari, maligno admodum, exacer-

babatur enim medicamentis ordinarijs: tentauit æger multa remedia, sed omnia in vanum: venit ad me, auxiliũque petijt: itaque manum suam tetigi perpaucò oleo mercurij, ita vt dolorem nullum sentiret, cautus enim debet esse medicus in administratione & perunctione illius olei; magnus enim est ignis, & si magna quantitate applicetur, magna parit symptomata, inflammationem putà maximam, dolorem ingentem, & tumorem magnum. Quocirca non temerè est applicandum quibuscumque partibus corporis, & si applicari contingat necessitate quadam, cautè admodum & minima quantumcumq; fieri potest quantitate applicandum est. Perunxi itaque herpetem istum quatuor aut quinque guttis istius olei mercurialis, & siccatum est vlcus omnino & curatus est æger, quem, vt radices morbi omnino eradicarem antimonio meo purgavi, & misi sanguinem ex brachio dextro ad quantitatem ζ viii. & præscripsi vt frigidam potaret per totum mensem Augusti facta enim est cura hæc; in eodem mense.

Curatio vigesima sexta, Herpetis profundi.

Dominus de Labia, Procurator Castrinoidarenfis crus dextrum habuit herpete profundissimo per sex annos vexatum, è quo sanies cruenta per tempus effluebat; vt illum curarem misi sanguinem ex basilica dextra, deinde purgavi ipsum antimonio meo, quod ego ne innotesceret nomine Catholici magni, aut febrifugi nominabã; ægroti enim si sciuisset antimonium esse,

noluissent finire, tantæ est apud omnes infamiae antimonium; sed hac cautela sanitatem ego omnibus restituebam. Purgatus ergo Labia noster antimoniali nostra purgatione, iulapia refrigerantia, oleo vitrioli alterata sumpsit per octo dies, & interim tetigi vlcus suum oleo mercurij, sed perpauca admodum quantitate & succo semperuiui maioris siccatum est omnino vlcus, & ad cicatricem laudatam reductum breuissimo tempore: viuit adhuc incolumis ab omni herpete liber.

Curatio vigesima septima, Alterius Herpetis.

Ioannes Arnaldus de Capella Regius Consiliarius Castrinoidarenensis, afflictus & vexatus fuit per multos annos herpetib⁹ in varijs corporis partibus, præsertim in metacarpo manuum: ab hisce vlceribus & scabie maligna ipsum liberauimus misso sanguine, & purgato corpore, extracto Rheubarbari, & scammonæ, & perunctis vlceribus perpauca quantitate olei mercurij: redibant tamen vlcera, verno tempore, sed quamprimum tacta erant oleo illo mercurij euanescebant: attamen euauerunt omnino iam, nec amplius vexatus est illis vlceribus, postquam oleo vitrioli in iulapijs acetosis vsus fuerit.

Curatio vigesima octaua, Dysenteria.

Dominus Destieue, Mercator vrbis Limosi habuit multos filios, quos omnes dysenteria perdidit,

perdidit, dum autem vnus ex illis iunior & annos quatuor natus superstes esset, & laboraret eadem dysenteria, vocauit me, vt, si Deus annueret, suum filium liberarem à tanto morbo: anno ergo 1620. petij locum illum, vidique paruulum illum ægrotantem febre magna, pulsu magno & veloci, siti maxima, lingua nigra, eiectionibus conditis sanguine puro, admixta bile porracea, vigilijs cum maximis & torminibus ventris, nauſeaque & vomitu fere perpetuo: vt ergo eum curarem à tanto morbo, miſi sanguinem imprimis è basilica dextra, ad quantitatem vnciarum trium aut quatuor; erat enim infantulus vt dixi: miſſo sanguine præſcripſi ipſi iulapia refrigerantia ex decocto acetosæ, portulacæ, & plantaginis oleo vitrioli alterata, & serò & manè utebatur hiſce iulapijs ad quantitatem $\frac{3}{4}$ v. serò verò, tempore ſomni ſumebat drachmam ſemis terræ exanimatæ vitrioli calcinati, ad rubedinem; terra autem illa exanimata dicitur, cum per lotiones varias aquæ dulcis priuatur ab omni ſuo ſale: poſtquam autem vſus eſt terra illa tribus vicibus, euauit omnino fluxus ille ſanguinis: permansit autem fluxus bilioſus nonnullis adhuc diebus, ſed ceſſauit tandem, & omnia ſymptomata, & bene valuit, & viuic adhuc magna patris, matrisque iucunditate.

*Curatio vigefimanona, alterius
Dysenterie.*

Petrus Dannette, ſeruus Domini de la Pomarrede, dysenteria laborauit eodem anno, iſque

curatus est vnica dosi antimonij mei, per quam multa eiecit supra & infra, & perfectè curatus est illa sola vice; causam enim dysenterix foras eduxit purgatione antimonium meum, sicque morbus & omnia symptomata: euauerunt viuit adhuc qui testis tanti effectus esse potest.

*Curatio trigesima alterius
Dysenteria.*

FRater meus Geraldus Faber, vnicum habebat filium eodem anno dysenteria maxima laborantem; præter cõmunia & parapneumonica symptomata, erat febris maxima & mœror maximus, ita vt totus corporis habitus hecticus videretur & marasmus, quòd per tres menses dysenteria illa laborasset, absque villo remedio adhibito: morosus enim erat maxime ille puer, quòd pater in illum nimis esset indulgens, etsi esset puer ille annos octo natus: curauimus tandem illum iusculis alteratis semine portulacæ, acetosa & portulaca, & guttulis nõnullis olei vitrioli, quo etiam sua prisana alterabatur: sumpsit etiam tribus vicibus terram nostram exanimatam vitrioli, & sic curatus est & liberatus; cùm tamen multi alij pueri eodem morbo laborantes hoc eodem anno extincti sint, quòd similibus non vsi sint remedijs, sed ab alijs medicis diuersimode tractabantur.

Curatio trigesima prima, febris Hectica.

DOmina de Caillsuel, filia nobilissimi viri de Baraignes, monasticam religionem proficiens

in Conuentu loci des Casses, annos nata 25. circa annum eundem per totum annum lenta febre vexata fuit, gracilescente totius corporis habitu, cum exacerbatione illius febris duabus horis post pastum: incidit autem in hanc febrem ob orationes & meditationes continuas, quas per totam fere diem, noctemque Deo faciebat: itaque cessantibus menstruis purgationibus suis, & melancholica facta incidit in hanc febrem, qua per annum detenta est, & tandem post multa remedia dogmaticorū, potiones catharticas, phlebotomias, balnea, & lactis humani vsus, incurabilis & desperata fuit à medicis, & relicta. Vocatus ego visitavi ipsam, & fere febre hectica in tertio gradu laborantem inueni, nares erant acutæ, concaua tempora, facies omnino hippocratica, gracili admodum totius corporis habitu, sola pelle membra tegebantur: desperabam ego etiam de salute illius, remedia tamen sequentia tentavi; præscripsi victus regimen euchymum calidum & humidum, vt gelatinis ex caponibus, & perdicibus factis & præparatis vteretur, & in singulis dosibus permiscebatur ꝓ j. spiritus violarum, cum guttulis decē arcani sanguinis humani, aut ceruini, quod arcanum sanguinis cerui in gratiam illius parauimus hoc eodē anno, & post mensem integrum quieuit aliquatenus febris, & moderata sunt symptomata: sequēti mense vsa est, quia fortior erat aqua distillata ranarum fluuiatilium pro ptisana sua, aqua cinnamomi alterata: in fine autem illius mensis robustior adhuc fuit, & carnosiori adhuc habitu, & apparuerunt menses, quos vt magis prouocarem vsa est copiosiori arcano sanguinis

humani in gelatiuis suis, quas ad quantitatem ʒvj. quater in die sumebat, & in principio alterius mensis in plenilunio copiosè fluxerunt menses, albi primo, deinde rubei, & post decem, aut quindecim dies, in fine istius mensis febris euasit omnino, & reliqua omnia sua symptomata, recuperato somno, & comedendi appetitu, qui omnino deiectus erat, & sic benè valuit, & viuit adhuc superstes & incolumis ab omni morbo.

*Curatio trigesima secunda, alterius febris
Hectica.*

ANtonius de Lorde, anno eodem, ingenuus iuuenis annos natus 18. incidit in febrem lentā, quæ à pastu exacerbabatur, gracilescente totius corporis habitu: itaque vocatus ego, cum altero medico famoso, consilio inter nos habito, ipsum diiudicauimus hecticum in primo gradu, ingruente secundo: præscripsimus illi victum humidum, & lac humanum: & ego vt loco pitisanæ vteretur aqua prima stillatitia vitrioli, quæ est phlegma illius, & balnea præscripsimus aquæ dulcis tepidæ, & intrà paucos menses perfectè curatus est, & tota sequenti æstate bene valuit: ingruente verò hyeme incidit in tumorem scrophulosum metacarpij pedis sinistri cū carie ossis phalangis primæ, digiti magni, quo vlcere adhuc laborat reditque febris hectica, quam curare cum suo vlcere difficillimum iudicarunt omnes Medici & Chirurghi: ego quoque de salute illius maximè dubito, quòd scrophulas internas suspicor; cura-

tionem tamen aggrediar & reponam, si succedat: mortuus est tamen.

*Curatio trigesima tertia, vulneris ab ictu
ensis in cubito dextro recepti.*

Dominus de Sainct Estienne, Dominus de la Pomarede, vulneratus fuit eodem anno à Domino de las Toufeilles, ictu ensis in ipsamet articulatione ossis radij cum osse brachij; & quâprimùm vulneratus fuit, intumuit valde brachiũ, & dolor acutissimus subsequutus fuit: vocatus ego vt dolori & vulnere medelam afferrem, per chirurgum sanguinem misi ex basilica brachij sinistri, vulnerato oppositi, vt reuulsionem facerem humorum, ne confluerent ad brachium vulneratum: misso sanguine ad quantitatem ζ viiij. robustissimus enim erat, & annos 25. natus, & sanguineo temperamento: post sanguinis missionem vulnus aqua sclopetaria lauauimus, & tinctura aristologiæ rotundæ, & florum hypericonis spiritu therebentinæ extracta perunximus, & à perunctione quieuit dolor, erat enim perpunctus neruus quidam vnde dolor maximus ortus erat, & hisce folis medicamētis curatum est vulnus intrâ quindecim dies, absque vllò symptomate.

Curatio trigesima quarta, cholera Morbi.

Raimundus de Monatd, aquarum, nemorùmq; magister, anno: natus septuaginta, venerabilis admodũ senex, in quo prudentia & omnes ani-

mi dotes, quamplurimum tunc temporis vige-
 bant, ætatisque labētis nesciebant declinationem:
 at annorum multorum mole pressus animus velu-
 ti palma florebat: decubuit eodem anno 1620.
 circa mensem Iulij cum vomitu atrabilario cru-
 delissimo, perquàm fœtida enim & nigra eij-
 ciebat, eaque multa, & maxima quantitate; in-
 trà enim duos dies, quibus vexatus est æquale
 pondus sui ipsius horum humorum euomuit.
 Conuocatis ergo Medicis vt consilium inter
 nos haberemus de præseruando tanto sene,
 conclamatum fuit inter nos, vt vna voce des-
 peratum de salute eius, tum ob magnitudinem
 morbi & symptomatum violentiam & malignita-
 tem, & ægrotantis labilem admodum ætatem &
 corporis imbecillitatem; nihilominus ego cum
 medicus suus chymicus & ordinarius essem, mi-
 hique maximè fideret, non omnino desperabam
 de eius salute. Rogauit ergo ispemet ægrotus, vnà
 cum vxore sua, vt opem afferrem néue desponde-
 re, vlllo modo, quòd vires adhuc valerēt & animus
 ægrotantis. Itaque hisce verbis audacior factus est
 pulsus suus esset fere moribundus, iulapium præ-
 scripsi ex decocto acetosæ, & pentaphylli & berbe-
 ris: addidi succum depuratum & coctum cyto-
 niorū, & tincturā coralli rubei, cum guttulis non-
 nullis liquoris aërei, & olei vitrioli tinctura auri
 impregnati: sumpsit huiusce iulapij ℥vj. tempore;
 sōni cum ℥ij. syrups violacei, quo per quatuor
 horas aut quinque placidè admodum & tran-
 quillè dormiuit: à somno expergefactus ro-
 bustior fuit admodum, & à vomitu illo liber;
 at fluxit aluus copiosè per totum diem sequen-

tem, & per tres dies subsequentes, nigræque multa & fœtida eiecit. Continuatis autem iulapijs quibus tranquillè admodum dormiebat, tandem quieuit aluus, & intrà mensem redijt ad pristinum statum, firmamque valetudinè noster senex, quem medici omnes moriturum indicauerant.

Curatio Trigesima quinta, Boulimi, seu famis Canina.

Idem Raimundus de Monard, post tres, aut quatuor menses à curatione præcedentis morbi, incidit in famem caninam, quam Græci βελιμόν dicunt, & κυνώδην ὀρεξίην: humor enim melancholicus acidi saporis, ut plurimum è liene in ventriculum confluebat, ibique excedentem illum appetitum sua acrimonia ventriculum vellicante excitabat: fames erat ingens, nullis cibis poterat repleri & satiari; etsi enim ad guttur usque repleretur, nihilominus tamen adhuc famem vellicantem perſentiebat, & comedendi summa cupiditate tenebatur. Vocatus ego, dedi pillularum aggregatiuarum drachmam semis, granis duodecim antimonij eis admixtis: quibus pillulis summo manè propinatis, multa eiecit supra & infra, nulla violentia, nec vllò ægroantis tormine. Præscripsi deinde syrupum de limonibus, guttis nonnullis olei vitrioli tinctura auri impregnatis delibutum, quo vsus est per quindecim dies, serò & manè longo tempore à pastu ad quantitatem $\frac{3}{4}$ ij. singulis dosibus,

& hoc vt acrimonia olei vitrioli acrimonia humoris melancholici retunderetur, & dulcesceret: oleum enim vitrioli si admisceatur oleo tartari, quod humori melancholico respondet, dulcescunt ambo, & acrimoniam perdunt, quod cuilibet experiēti obuiam erit: itaque vsu illius syrups & purgatione prædicta perfectè liberatus est ab illo morbo, & per duos annos integros incolumis seruatus est, & liber ab omni morbo; at anno 1622. circa mensem Septembris incidit iterum in coleram morbū à quo curatus etiam est, sed hectica senectutis & senio, conuolauit in numerum beatorum.

Curatio trigesima sexta, Cari.

FRANCISCUS de Prats, circa annum 1620. incidit in somnum profundum, à quo excitari non poterat; respirabat tamen nec febris vlla erat, at pulsus admodum tranquillus & æqualis: vocatus ego caroticum iudicauī hominē hūcē symptomaticis affectum; non enim erat apoplecticus, nec lethargicus, nec epilepticus, quod non moueretur, nec spumam in ore haberet, at iacebat sine motu, sine sensu, oculis semper clausis, florido colore, pulsu magno & æquali, & bona respiratione: curauī ipsum caroticum, data ipsi drachma vnica salis vitrioli mei, in $\frac{3}{4}$ j. aquæ saluæ dissoluta, qua potione multa & quā maxima vomuit pituitosa & æquosa; solet enim is effect⁹ ex his solis causis euenire. Deinde post purgationē illam supernā, à qua statim loquutus est, & nouit omnes, dedi illi aquam

cinnamomi stillatitiam, & consului vt vteretur vino puro; at pauco, ne quantitate vini vapores multiplicarentur, & ad caput ascenderent, iterumque carum facerent, & sic curatus est perfectissimè.

Curatio trigesima septima, Lethargi.

ANtonius Colom, baiulus, fortissimus, & robustus, Castrinoidarensis, circa annum 1614. in febrem continuam & ardentem incidit, ad quam curandam multi fuerunt conuocati Medici, quia pauperrimus erat ægrotus: peractis ergo imperfectè crisis, circa decimumquartum diem incidit in lethargum somnum inexpugnabilem: vxor sua cum desperaret de salute mariti sui, & morti proximum iudicaret; venit tandem eiulando, potiùs quàm lachrymando circa ædes meas, & vocauit me in auxilium restituentæ sanitatis suo marito: statimque petij domum suam, & inueni ægrotantem vultu luteo, & liuido, cum auditu infirmo, clamantem enim me non audiebat, cum læsa ratione & memoria, cum oscitatione frequenti, & oculis coniuuentibus, & lingua alba & saliuosa, somnoque profundissimo sepultum, à quo excitari non poterat; & si tandem excitaretur, statim redibat in pristinum statum: febris autem erat magna, & corpus suum nonnullis exanthematibus rubeis variegatum: vt ipsum à tanto morbo liberarem, vomitum prouocaui, sale meo vitrioli, in aqua saluix dissoluto, quo vomuit multa & copiosa, pituitosa & biliosa; valebant autem vires ipsius ægrotantis adhuc,

itaque mihi sanguinē, quia adhuc missus non fuerat, & statim à sanguinis missione fugatus est somnus; à repletionem enim humorum dependebat, tum febris & lethargus ipse, non à diminuto calore natiuo, vnde ego purgaui ipsum decimo sexto die, antimonij mei granis quindecim, & à purgatione post paucos dies conualuit omnino, & viuit adhuc sanus & incolumis.

*Curatio trigesima octaua, Doloris
ventriculi.*

MArgareta de Villeroux, vxor Domini Stephani de Monard, Regij Consiliarij Castri-nouidarensis, dolore summo ventriculi cruciabat-ur à quindecim diebus, in quibus comederat caseum recentem & mollem, quem venenatū sus- picabantur: erat autem dolor acerbissimus, & cru- delis admodum, somnum capessere non poterat, nec vlla edulia sumere, nec vomere poterat reme- diis nonnullis adhibitis: vltimis autem diebus fe- bris aderat, & partium extremarum frigus, & tre- mores, & conuulsiones, veneni vera symptomata. Itaque vocatus ego, statim dedi illi potionem aquę saluie, cum ʒ j. salis nostri vitrioli, qua multa eie- cit, & vomuit per totum diem, nulla violentia, & tandem eiecit caseum illum recentem, & mollem quem comederat quindecim abhinc diebus, & moderatus est statim dolor, & sequenti die refocil- lato ventriculo aqua cinnamomi, conualuit omni- no, & liberata fuit ab omni dolore & sympto- mate.

*Curatio trigesima nona, Suffocationis
vteri.*

ANna de la Val, ancilla Domini de Martini, statim à cœna circa mensem Septembris, anni 1620. cecidit sinè pulsu, sine voce, sine respiratione sensibili, ita vt apoplectica videretur: frictionibus multis vsi sunt astantes, & dederunt illi spiritum vini, & aquam cinnamomi, nec propterea redibat animus: idcirco vocatus ego, inveni ancillam illam suffocatione vteri vexatam: quare dedi potionem salis mei vitrioli, cum aqua saluæ, qua potione multa euomuit, & eiecit, & tandem locuta est, & nouit omnes, & perfectè liberata fuit ab illa suffocatione intra horam.

*Curatio quadragesima, Apoplexia,
& Paralysis.*

DOminus d'Arnoulet mercator, circa annum 1616. apud locum de Folcarde, circa mensem Decembris, annos natus sexaginta, melâcholicus valdè temperamenti, tum ob varia negotia quæ illi summo cum infortunio superuenerant ob lites varias amissas, & merces, bonaque omnia pessum euntia, statim à prandio cecidit corâ me, sine voce, sine pulsu, sine respiratione vlla sènsibili, sine motu, & sine sèsu, omnibusq; animi, tû corporis facultatibus priuatus, ita vt videretur mortuus: statim ego

cum adessem præfens, dedi illi salem vitrioli
 mei in aqua communi: semper enim adfero me-
 cum, & antimonium meum, & sal illud vitrioli.
 Itaque à potione illa statim vomuit prandium, &
 maximam quantitatem pituitæ vitreæ: vnà cum
 cibus in prandio sumptis, perque totum diem vo-
 muit, & interim in aures suas stillaui essen-
 tiam Cariohyllorum, & thymi, vnà cum cin-
 namomi oleo stillatio, simul mixtis, & in au-
 res, narésque stillatis, & raso capillitio toto, vesti-
 catoria ex cantharidibus toto capiti, & collo ap-
 plicau; & cucurbitulas cum multa flamma, &
 profunda scarificatione scapulis affixi, & intrà
 viginti quatuor horas tandem aperuit oculos,
 & motus est, & respiraui, cui statim dedi aquæ
 imperialis ℥ iij. cum extracto theriacæ ℥ ij. & olei
 cinnamomi ℥ β. & olei vitrioli tinctura auri im-
 pregnati ℥ β. dedi hæc omnia in potionem simul
 permixta, quæ satis commodè deglutiuit; quam-
 uis adhuc toto corpore paralyticus videretur. Se-
 quenti die, quia adhuc loqui non poterat, signa
 tamen faciebat se capite dolere, dedi antimo-
 nium meum, ad quantitatem granorum viginti
 quinque, cum vino optimo, quo medicamento
 multa per totum diem euomuit, & eiecit supra &
 infra, & sequenti die loquutus est admodum
 balbè, nec brachia mouere poterat, nec pedes,
 nec truncum corporis, nisi leuissimo motu: itaque
 repetitis medicamentis supra citatis, tum quæ in
 aures, & nares stillata, & infusa fuerant, tum
 quæ cardiaca sumpserat, sequenti die iterum de-
 di salem vitrioli, quo vomuit multa pituitosa vi-
 trea, & gypsea: sequenti autem die purgavi an-

timonio meo, quo copiosiora quàm credi possunt, eiecta fuerunt supra & infra: & sic tandem loquutus est satis perfectè, & motus membrorum omnium valdè debilis: testiculi verò apparuerunt tunc temporis tumidi valdè, quibus lintea madida spiritu vini apposita fuerunt, nec cessit tumor hoc remedio; at tumor grandior fuit, & durior, absque vlla inflammatione: tunc temporis cataplasma emolliens & discutiens ex radicibus althææ, & liliorum cum folijs maluæ paratum, & in vino puro coctum, & farina fabarum malaxatum applicauimus, & oleo ceræ rectificato priùs perunximus, & continuato remedio per octo dies, ad suppurationem deuenerunt tumores illi testiculorum, & aperti, pus multum laudatum eiecerunt, & ad cicatricem conduximus laudatam intrà mensem: & interim purgatus fuit bis in illo mense antimonio meo ægrotus noster, & totum corpus perunctum spiritu ceræ, & oleo cariophyllorum, vt membrorum omnium calor multiplicaretur, & sic serosos humores qui neruos imbiberant euanescerent, quos toto sequenti mense stupa sicca, singulis matutinis horis antimonio nostro sudorifico propinato, sudores eliciendo, tandem fugauimus, & ægrotum nostrum ab apoplexia, & paralyfi subsequente tutissimè & iucundissimè liberauimus, obseruato regimine victus tenuissimo, vt in acutis obseruari præcepit Hippocrates: viuit adhuc ægrotus, qui testis est huiusce historię.

Curatio quadragesima prima, Fistula.

Dominus de Gaubert Chirurgus loci de Vignonet, annos natus 45. febre pestilenti, & maligna vexatus fuit, & ab ea liberatus imperfecta crisi, metastasi facta humorum peccantium in tumorem durum, & schirrosam, in medio pectoris, qui tumor medicamentis & cataplasmatibus emollientibus, & suppuratibus, ad pepasum & maturationem tandem devenit ingenti cum dolore: & apertus, pus satis liquidum & aquosum eiecit: mansit autem ab apertura tumoris, per annum integrum apertum ulcus, nec ad cicatricem ullam potuit conducere, magno incommodo ægrotantis, dolebat enim semper acerbissime illa parte, febrisque lenta tenebatur: itaque hecticus iudicatus, & atrophicus à medicis, vocavit me, ut opem ferrem, visitavi ulcus, & percontatus sum eius profunditatem, è medio pectore, circa medium ossis sterni vergebat ulcus usque ad ultimam partem mammae sinistrae: labra ipsius ulceris dura erant & callosa, & minimo foramine eminebat: intus autem grandiori fistula percavatum, aquosum & liquidum quid satis foetidum, & flavi coloris effluebat, magnusque erat in ea parte dolor: hisce perpensis fistulam, & cavernosum ulcus iudicavi. Ad quam curandam sequentibus remediis, usus sum: Imprimis ægrotum bona spe futurae salutis consolatus sum, & timorem hecticæ febris longè propuli, timebat enim ipse febrem illam hecticam, qua tenebatur; at non erat vera febris hectica, sed symptomatice, & per sympathiam, & proximitatem ulceris, &

putrentis humoris, cor patiebatur ardorem febrilem, qui tandem hecticus, & fixus factus fuisset, ni curatus fuisset à fistula illa aegrotus noster: itaque primis ipsis diebus purgavi ipsum extracto rheubarbari & scammonæ & medullæ cassiæ, quo medicamento ad quantitatem $\frac{3}{4}$ β . sumpto, blandè admodum fluxit aluus. Præscripsi deinde iulapia refrigerantia ex decocto acetosæ, & portulacæ, succo limonum, & oleo vitrioli alterata, cum syrupo limonum: usus est per mensem hisce iulapiis, serò & manè, obseruato regimine euchymo humido, & calido: utebatur enim vino tenui, & potabat tantùm iuscula optima, quibus singulis dosibus guttulæ viginti permiscebantur arcani sanguinis humani, & in vlcus iniiciebatur syphone arcanum illud sanguinis humani, cum extracto aristologiæ rotundæ permixtum: tactum autem & causticatum fuit vlcus oleo mercurij, & postquam scarrum decidit, lauatum fuit vlcus semper, vsque ad cicatrificationem, arcano illo sanguinis, & extracto illo aristologiæ, & aliquando essentia ferri, quibus solis curatus est, & viuit adhuc Chirurgus iste, perfectè sanus.

Curatio quadragesima secunda, Epilepsia.

Ioannes de Fungé, filius Petri de Fungé, Villanus, & operarius fratris mei, Geraldi Fabri, aduenit domum fratris mei circa annum 1620. annos natus 15. adferens oua, circa mensem Maij, 1619. ad ignem positus, & se calefaciens, cecidit



in terram coram me & fratre meo, sine sensu, & cum motu tremulo, & querula voce, & cum spuma circa os. Cui statim dedimus aquam imperialem, cum spiritu viridi vitrioli, & statim surrexit, & fuit ab illo epileptico insultu liberatus, sed tribus aut quatuor horis post redijt insultus, & paroxysmus, à quo liberatus simili medicamento, sale vitrioli mei dedi, à quo purgatus est per vomitum, toto illo die: & fuit toto illo die à paroxismo liber, qui singulis tribus horis superuenire solebat: deinde sequenti die purgauimus antimonio nostro, & per octo dies vsus essentia succini albi cum spiritu viridi vitrioli, in aqua cinnamomi propinatis ad minimam quantitatem: & his solis medicamentis perfectissimè curatus fuit, iuuenis ille ab epilepsia sua, quæ ab utero matris ortum duxerat: viuit adhuc iuuenis ab omni morbo liber: laus sit Deo, & gloria sempiterna.

*Curatio quadragesima tertia, Suffusionis
& Cataractæ.*

FRANCISCA de Douays, annos nata sex, aut septem, iuuenis admodum filiola, cataractam & suffusionem passa est in vtroque oculo, inter crystallinum humorem, & corneam tunicam concreto humore quodâ albo, & crasso, quo crystallinus humor obtenebrabatur, & vndè visus laesio, aut potiùs amissio: vocatus ego, vt puellæ illi opem afferrem, causticum potentiale inter vertebam, secundam & tertiam colli præscripsi applicandum, & purgavi granis decem antimonij mei, &

ex croco

ex croco metallorum infuso in aquis stillatitiis euphragiæ & fœniculi, paravi collyrium quo sæpissimè oculos utrosque manè & vesperè laudabat, & sic pederentim, abque vlla operatione manuali & chirurgica, sublata est suffusio, & cataracta, sinè recidiua.

Curatio quadragesima quinta, Ungula.

ANna de Douays, altera filiola eiusdem Domini de Douays, annos nata octo, & soror eiusdem Franciscæ prædictæ, vngulam habuit in oculo sinistro ad latus pupillæ: solo vsu croci metallorum curauimus perfectè ipsam, & euauit omnino vngula, & perfectè curata est, absque vllò alio remedio.

Curatio quadragesima sexta, Carbunculi pestilentis.

Petrus de Cassaignol, Presbyter loci de Villepinte, circa annum 1617. mensis Augusti laborauit febre maligna, in cuius quarta die apparuit tumor circa oculum dextrum, in cavitare palpebræ inferioris, cum rubore maximo, & capitis, & colli totius tumefactione dolorifica: in medio autem tumoris erat aliquid nigri, magnitudine lentis: sequenti die idcirco parentes eius quòd gangrænam existimassent, propter ampullas & vstiones, similes illis quæ fiunt ab aqua ebulliente, quæ circa tumorem apparebant, me vocarunt: cui sequentibus remedijs medelam attuli. Imprimis

—
 miſi ſanguinem ex baſilica, magna quantitate, erat enim robuſtiſſimus vir, & in florenti ætate conſtitutus annos natus quadraginta: poſt miſſionem ſanguinis, affixi ſcapulis, & lumbis cucurbitulas cum profunda ſcarificatione, & leuiſſima ſcarificatione cutem diſtentã circa tumorẽ dilatauimus, & mediũ eius iam cauſticatũ & uſtum humoris acrimonia tetigimus oleo mercurij, vt igne iſtius, ignem alterius extingueremus, quod Deo annuente factum eſt: nam poſtquã ſcarrum decidit, breui tẽpore perfectẽ curatus eſt ægrotus noſter tum a carbunculo, tum à febre, præſcriptis iulapiis, alexiterijs, oleo vitrioli alteratis, quibus uſus eſt, per octo dies, & antimonio noſtro ſudorifico, diebus criticis exhibitio.

Curatio quadrageſima ſeptima, Schirri.

—
IVo Faber, filius fratris mei, annos natus octo, melancholici temperamenti, & pituitoſi, taciturnus enim eſt valdẽ infans & quietus, hyberno tempore circa annum 1620. habuit tumorem duriffimum indolentem in brachio dextro, in muſculo deltoide: multa adhibita ſunt cataplaſmata ſuppurantia, & diſcutientia, à Chirurgo, ſed omnia in vanum. Cũ ego viderem illum tumorem non poſſe reſolui, nec ad pepaſmum conduci, miſi ſanguinem ex brachio oppoſito, ad ʒvj. deinde purgavi ipſum ter, antimonio meo, granis decem exhibitis in vino puro: à purgatione ſtatim tumorem diſcutiendum aggreſſus ſum: perungebam tumorem illum frigidum & durum, oleo tartari cum ſpiritu eius: deinde ſuperponebam calidẽ baſamũ

fulphuris, & tandem spiritu cryſtalli, & ſale illius in ſpiritu eius diſſoluto intrà menſem euanuit tumor, & perfectè curatus eſt omnino.

Curatio quadrageſima octava, quartana Febris.

Maria d'Honous, vxor Franciſci de Lorde, annos nata 40. fuit febre quartana vexata, circa annū 1620. in menſe Septembri, eam ipſam purgauimus, variis potionibus catharticis dogmaticè præſcriptis melanagogis, & tamen febris permanſit in eodem typo, per ſex & ſeptem mēſes; cui tandem medicamenta ſpagyrica porreximus: purgauimus eam ter aut quater antimonio noſtro, & uſum quotidianum aquæ cinnamomi conſulimus: deinde extractum theriacæ in paroxiſmo ipſius febris dedimus, & ſic tandem curata fuit omnino à febre ſua quartana, & viuuit adhuc.

Curatio quadrageſima nona, alterius Febris quartana.

FRanciſcus de Pene, ætatis 35. fuit anno 1621. à febre quartana vexatus per octo menſes, cui omnia ferè remedia dogmaticè præſcripta adhibita fuerunt, & regimina victus; circa finem autem octauī menſis à me petiit opem, inueniſque eum ſchirroſo ferè hepate, pedibus valdè tumidis digitorum impreſſionem ſuſtinentibus, ita vt hydropicus videretur: mutato ergo victus

regimine; potabat enim aquam, & ptisanā herbis nonnullis, & radicibus alteratam, vinūque merum consului, sed paucum; & manē, ieiuno stomacho præscripsi vt sumeret \bar{z} j. spiritus vini optimi: purgavi ipsum antimonio meo ter aut quater diuersis diebus, & vsum aquæ cinnamomi, aut vinum hippocraticum consului, & præscripsi, & his solis medicamentis curatus est perfectè, & viuic adhuc incolumis ab omni morbo.

Curatio quinquagesima, Febris pestilentis cum nausea perpetua, & vomitu in muliere pregnante.

R Aimunda de Solier, vxor fratris mei Geraldii Fabri, anno millesimo sexcentesimo decimo sexto, ætatis suæ 38. & vtero gestans, febre maligna, exanthematibus multis rubeis per totum corpus variegata, detenta fuit. Præter autem varia symptomata quibus febris illa concomitata erat, nausea erat perpetua, & vomitus humorum biliosorum: omnes Medici de salute ægrotantis desperabant, & præcipuè quòd vtero gestaret: nihilominus tamen curata perfectissimè fuit, nec abortum fecit; sed & foetus, & vtero gestans seruari sunt sequentibus remediis. Imprimis, vomitui succurrimus iulapiis acetosis, succo limonum, & oleo vitrioli alteratis, quibus aliquando guttulas tincturæ auri addebamus, & arcani nostri sanguinis humani guttulas nonnullas, & his solis medicamentis sæpissimè iteratis in iusculis, & aliis poculentis, tandem

seruata illa mulier prægnans, nulla facta crysi euidenti & manifesta; nisi per insensibilem transpirationem, & vomitum, quem compescuimus primis ipsis diebus, oleo nostro vitrioli & tinctura auri.

*Curatio quinquagesima prima, Surditatis
& difficilis auditus.*

Plurimum aliquis Pater, Religionis Capucinorum, cuius nomen è memoria excidit, ætatis 48. annorum, fuit anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo, in Conuentu Castrinouidariensi affectus difficili auditu, nihil ferè audiebat, nisi soni magni essent, & acutissimi: incidit autem in hunc affectum pedetentim, obstructione facta neruorum qui inseruiunt auditui: multos consuluit medicos, multaque remedia expertus est per quinque annos, quibus & Tolosæ, & varijs alijs in locis commoratus est, in quibus medicos omnes consultabat. Tandem dum erat in conuentu Castrinouidariensi, consuluit me de surditate sua, quam curauì sequentibus medicamentis. Imprimis purgauì illum sexies, per diuersos dies, porrectis granis viginti antimonij mei, quibus copiosissime fluxit aluus, vt Hipocrati satisfaceremus, afferenti surditates alui fluxu curari posse: deinde caustica potentialia applicuimus tibiaram suris, vt reuelleremus humores ab auribus in partes inferiores hisce vlceribus; deinde essentiam thymi, & cariophyllorum simul mixtos, in aures

instillauimus, serò & manè, gossipiúmque his essentijs pertinctum assiduè ferebat in auribus, victúque semper tenui, & attenuante, vinóque albo vsus est, & oleribus omnibus abstinuit, & sic intra mensem curatus est, & perfectè audiuit.

*Curatio quinquagesima secunda, alterius
Surditatis.*

Dominus de Lilac Vitrarius, ob ætatem, sexagenarius enim erat, & ob rigores frigoris Montium Pyrenæorum in quibus degebat, incidit in difficultatem audiendi ex vtraque aure; quòd autem intimus erat amicus meus, statim me petiit, & communicauit affectum, & similibus remedijs, & obseruata eadem methodo curauí ipsum perfectissimè, & adhuc uiuit incolumis, & sanus; vitur autem vt à recidiua præseruetur gossipiis in cavitare aurium delatis, essentia aloës delibutis, vt à frigore præseruetur hiberno tempore, & à fluxu humorum; caliditas enim illius essentiæ cerebrum roborat, & humores frigidos discutit, neruúmque auditorium in sua limpидitate & claritate conseruat, sicque facultas animalis absque vlllo impedimento facillimè in aures defertur.

*Curatio quinquagesima tertia, doloris
Aurium.*

Dominus de Couffin, circa annum 1621. in mense Octobri, grauissimo dolore auris

dextræ laborabat: itaq; vocatus, visitaui ipsum, aurémque suam externam nulla inflammatione detentam inueni, at sanam omnino: intus autem erat dolor grauissimus: misi itaque sanguinem ex brachio dextro, ex cephalica, ad magnam satis quantitatem; robustissimus enim erat, & in consistenti sua ætate: deinde purgaui ipsum pillulis de agarico, admixtis granis decem antimonij mei: in auré autem instillaui oleum vitellorum ouorum sæpius distillatum cum sulphure: à prima vnctione, seu in aurem dolentem stillatione ipsius olei quieuit dolor, & tota ipsa nocte dormiuit, qui septem alias noctes insomnes omnino vigiles transegerat: manè autem per aurem ipsam copiam puris laudati eiecit; hinc certi fuimus, dolorem prouenire ex tumore quodam phlegmonoso in penitissimis auris partibus generato: continuauimus stillationem olei nostri vitellini & perfectè curatus est, & uiuit adhuc incolumis.

*Curatio quinquagesima quarta, alterius
doloris Auris.*

Dominus Germanus de Vernes, anno 1623. dum Tolosæ degeret, vt Senatus Tolosanus ipsum Consiliarium Regium Castrinouidarensismitteret, probatione facta suæ capacitatis, ob feruorem studij sui, ob vigiles, & insomnes noctes quas transigebat, in catarrhum incidit ferocem, à quo leuicula febris erat, cum grauissimo tamen & acutissimo auris sinistrae dolore: eram tunc temporis Tolosæ, vocauit me, & statim per

Chirurgum mihi sanguinem ex cephalica sinistra, & sequenti die curavi ipsum pillulis de agarico, admixtis granis decem antimonij mei, & in aurem suam instillavi guttulas nonnullas olei mei vitellini supradicti, & sic perfectissime subleuatus est ab omni febre, catarrho, & dolore, absque suppuratione vlla, quòd non esset tumor vllus intrà aurem; at erat collum, & rota pars illa sinistra capitis inflata, & tumefacta, sed à purgatione, & venæ sectione, & vinctione olei mei euauit tumor ille externus.

Curatio quinquagesima quinta, Tussis inueterata.

Gregorius de Polastre, Castrinouidarensis Consiliarius, circa annum millesimum sexcentessimum vigesimum primum, in mense Decembri detentus fuit tussi vehemennissima, qua toto hiberno tempore, & verno vexatus fuerit, cum febre lenta, itaque se phthisicum esse putabat; quamplurima enim remedia fecerat, vt à tussi illa liberaretur: vnico autem remedio curatus est; vsus est tabellis essentiae succini albi, oleoque, seu essentia eiusdem ad quantitatem guttarum decem, in cochleari aquæ cinnamomi, & in aures instillabat tempore somni guttulas nonnullas eiusdem essentiae, & sic curatus est intrà mensem.

Curatio quinquagesima sexta, alterius Tussis inueterate.

Bertrandus Compte, Doctor Medicus, Ciuitatis de Lauaur, intimus amicus meus, postquam per tres annos integros dolore summo capitis & tussicula, diuexatus fuerit: tandem incidit in febrem lentam, & tunc temporis circa annum 1623, tussi vehementissima cruciabatur cum ex-

puitione fœtida, & viridi, & crassa. Dedi illi consilium, vt sepeissime purgaretur extracto Agarici, & antimonio meo, quibus adderet grana nōnulla moschi, vt virtute illius efficacius virtus medicamentorum deferretur ad caput, quod actum est: melius se habuit à purgatione illa: deinde vsus est tabellis essentia succini albi, & essentia eiusdem succini albi cum syrupo liquiritia, & horum medicamentorum vsu, cum optimo victus regimine & arcano sanguinis nostro, Deo annuente curatus est perfectissime intrà quatuor menses, & viuit adhuc saluus & incolumis ab omni morbo, quamuis omnium medicorum sententia desperatæ esset salutis: redijt tandem affectus, anno 1626. & mortuus est.

Curatio quinquagesima septima difficultatis Anhelitus.

ANtonius Caluayrac, dictus le Canou, villanus & rusticus, sexagenari⁹ circa annū 1617. in mēse Decembri incidit in difficultatē anhelitus, ob frigus perpeſsum, & in niue ipsa deambulationē, defluxione facta è capite in thoracem pituitosi humoris viscosi & glutinosi, laborauit toto illo hyberno tempore, absque vllō intermedio. Verno tempore deinde sequēti vocauit me, dū magis premeret affectus. Itaque eum purgaui pillulis meis cephalicis, ex extracto agarici & antimonio meo, & moscho compositis: applicui causticum potentiale secundæ colli vertebræ, & tabellas præscripsi florum sulphuris, cum essentia succini albi: & sic frequenti harum tabellarum vsu tandem curatus est.

*Pillulæ
cephalicæ*

Curatio quinquagesima octaua, Angine.

VXor Domini de Lamoureux, mercatoris Castrinouidariensis, fuit eodem anno superiori

vexata inflammatione summa faucium laryngis cum tumore phlegmonoso, ex quo deglutendi difficultas quammaxima, & respirandi, & febris maxima orta est: vocatus ego statim eiectione enemate emollienti & refrigeranti, nisi sanguinem ex utraque cephalica, robustissima enim erat mulier, & in florenti sua ætate, annos nata 25. & cucurbitulas applicui scapulis cum multa flamma, & profunda scarificatione, & guttur exterius perunxi oleo vitellino rectificato nostro, cum sulphure, imò & internas partes eodem oleo, cum penna tetigimus & quarto die ruptus est tumor, & magnam copiam eiecit puris & sanguinis, & sic curata fuit: oborto deinde sudore septimo die per totum corpus, à quo curata est omnino, & à febre libera fuit.

*Curatio quinquagesima nona, vlcerati
Gutturis & Laryngis.*

EAdem vxor Domini de Lamoureux, incidit post multum tempus à curatione angina, in defluxionem acrem & mordacem quæ amygdalas seu partes illas Laryngis quæ osculum Laryngis claudunt, inflammabat, & excoriabat, summo cum dolore, tussi maxima, & deglutendi & bibendi inpotentia, quòd muscoli oesophagi etiam affligerentur illa ipsa distillatione: ad curandam hanc affectionem purgauimus ægrotatam nostram pillulis nostris cephalicis sæpissime, & caustico in collo applicato humorem fluentem diuertimus, & oleo mellis & sacchari vlcus curauimus, & ad cicatricem laudatam conduximus

breuissimo tempore: viuit adhuc ab omni morbo libera & incolumis.

Curatio Sexagesima, Pleuritidis.

Petrus Scaraguel, villanus & rusticus, in mense Maio, circa annum 1621. incidit in grauissimum dolorem vtriusque lateris, cum maxima respirandi difficultate, & sputo sanguineo secundo die; tertio verò die vocatus inueni ægrotantem febre cum maxima, & fere delirantem: itaque urgente ipsa necessitate sanguinem misi ex vtraque basilica ad $\frac{3}{4}$ vij. ex vtraque; erat erit robustus vir ætatis 31. & quarta die contra communem medendi in pleuritide methodum, antimonium meum propinandum dedi ad granorum quindecim quantitatem, quo multa eiecit supra & infra, maxima cum incommoditate propter dolorem lateris, & ni robustus fuisset, dolori ni fallor succubuisset: cauendum quapropter est maximè à vomitu excitando in pleuritide, nec hac in parte sequendus sum: nihilominus tamen curatus est hac *nota* methodo ægrotus, quia ruptus est tumor, & vomuit tussi, multa sanguinea, purulenta, & eiecit: & leuatus à dolore, sequenti die, quo antimonium nostrum sudorificum dedimus, quo copiose toto illo die sudauit, & fuit à febre omni liber die septimo; oborto etiam sudore aliquo, quo perfectè curatus est, & viuit adhuc incolumis.

Curatio sexagesima prima, Peripneumonie.

Dominus de Vernes Regius Consiliarius Castrinoidarensis anno 1623: circa mensem

Iulij, incidit in febrem magnā cum dolore capitis
 grauissimo, anhelitus difficultate maxima, dolore
 lateris vtriusque ad scapulas vergente, & rubore
 genarū maxima. & dormiendi summo desiderio:
 hæc grauissima symptomata, vnā cum febre, primo
 ipso die ægotantem nostrum inuasere: itaque
 me vocarunt primis ipsis diebus, cui statim san-
 guinem mittere iussi ex basilica brachij dextri ad
 quantitatem $\frac{3}{4}$ viij. & oleo ceræ partes dolentes
 perunximus; die verò tertio misimus iterum
 sanguinem ex alio brachio ad quantitatem octo
 vnciarum (erat enim robustus & annos natus; 5.)
 & partes dolentes perunximus balsamo sulphuris
 & oleo ceræ simul mixtis: quarto verò die dedi-
 mus illi sulphuris nostri antimonialis rubei dra-
 chmam vnā, cum guttulis nōnullis olei cinnamo-
 mi, cum cortice citri conditis simul mixtis & in-
 corporatis, in formam boli, quo copiosè sudauit
 toto illo die, & nocte sequenti; nec propterea re-
 missa est febris, & symptomata, imò eodem te-
 nore & typo permanserunt; quam ob rem se-
 quentia iulapia præscripsimus: decoctum pectora-
 le dedimus serò & manè, ad quantitatem $\frac{3}{4}$ vj.
 cum $\frac{3}{4}$ ij. syrupi de tussilagine, & drachma vnica
 salis prunellæ & $\frac{3}{4}$ β. syrupi papaueris reas, & dra-
 chma vnica aquæ cinnamomi stillatitij, ex quibus
 omnibus parabatur haustus vnus pro vna dosi, id-
 que vsque ad septimum diem & vndecimum, in
 quo curatus est perfectissime, crise facta per sudo-
 res copiosos septimo & vndecimo die: in quibus
 diebus ad sudores copiosius eliciendos, & iuuan-
 dam hac in parte naturam, deglutiendam dedi-
 mus drachmam vnica antimonij nostri sudori-

fici rubei, vt antea die quarto fecimus, sicque curatus est perfecte, & à magno illo morbo liberatus, tutissime & iucundissime: multosque deinde ego obseruata eadem prorsus methodo curavi, pleuriticos & peripneumonicos, quos prætermitto; non enim in votis est omnes numerare ægros, quos saluos fecit alchymia; at ex genere omnium morborum aliquos, vt percipiant misochymici, facili negotio morbos omnes chymica methodo, curari posse, à me ipso curatos esse.

*Curatio sexagesima secunda, deprauati
Appetitus, seu pica.*

Hic affectus frequentissimus & cõmunis prægnantibus & virginibus viripotentibus, quibus menstrua non fluunt; pallidos enim colores statim incurrunt, & picam ob prauos vapores qui ab utero malè affecto in ventriculum ascendunt. Viri autem rarissime tentantur hocce affectu; pueri verò frequentius, ob cruditates ingentes, quas colligunt ex victus prauo regimine: ego ipse puerum, imò infantulum habui, qui annos natus tres tantum hoc affectu laborauit, cineres & terram magno appetitu efflagitabat, & comederat; edulia autem euehyma respuebat, imò ipsam lac nutricis sugere aliquando recusabat. Itaque liberauimus ipsum à præsentis morbo sequenti & vnico remedio: dedimus illi grana quatuor antimoniij præparati, & deglutijt cum iusculo, eoque remedio assumpto duabus aut tribus horis post, multa biliosa, viridia omnino euomit, & eiecit

supra & infra, quo debilis factus est valde: iulapium verò dedimus ex syrupo granatorum, cum tinctura nostra auri, ex oleo vitrioli parata, & ea utebatur ex cochleari; & sic perfectè curatus est, & viuit adhuc sanus & incolumis ab omni morbo.

*Curatio sexagesima tertia, alterius
Pica.*

ANna de la Font ancilla Domini de la Po- marede, laborabat pica, & deprauato appetitu; triticum enim & terram, & calcem comedebat, erat autem viripotens virgo, annos nata viginti; menses illi non fluebant, colore pallido subuiridi, totum corpus suffusum habebat, febricula laborabat, tibiarumque dolore, & respirandi difficultate maxima. Vocatus ego sequenti methodo curavi ipsam: imprimis, eiecit enemate emollienti & carminatiuo, sanguinem misi ex malleolis vtriusque pedis, ad quantitatem ex vtroque pede $\frac{3}{4}$ vj. Deinde sequenti die propinata est cum aqua saluix drachma vnica salis vitrioli, qua potione multa euomuit: sequenti autem die dedi grana quindecim antimonij mei, quo iterum multa & copiosa valde eiecit supra & infra; & his solis medicamentis perfectissimè curata fuit ab omnibus prædictis symptomatis, & à deprauato illo suo appetitu, quo detinebatur.

*Curatio sexagesima quarta, deperditi
Appetitus.*

Dominus Arnaut, qui circa annum 1616. pueros Domini de Baraignes edocebat, incidit in hunc affectum, impransos, incœnatosque transigebat integros dies; absque villo comedendi appetitu: saturatus semper sibi ipsi videbatur, dum autem ad cibos accedebat nausea summa afficiebatur; marcescente ergo in dies corpore incidit in febrem lentam, & vigilias perpetuas. Vocatus ego dedi illi grana quindecim pulveris albi antimonij nostri, quibus multa pituitosa gypsea eiecit per vomitum & secessum: sequenti verò die dedi syrupum corallorum; paratur autem hic syrupus ex dissolutione corallorù in succo limonum depurato, & nonnullis guttulis olei vitrioli animato, vt potentiam habeat soluendi: hæc solutio filtrata & clarificata, cum sufficienti quantitate sacchari optimi coquitur in syrupum: vsus est hoc syrupo per tres dies, sumendo, summo manè cochlearia duo, & statim primo die recuperavit appetitum, & cibos summo desiderio appetiuit; & sic curatus est & viuit adhuc sanus & incolumis.

*Syrupus
corallor.*

Curatio sexagesima quinta, Lienterie.

DOMINVS de Daumada, consobrinus meus anno 1623. ægrotabat in ipsa domo,

in mense Octobri, hoc affectu, & ex racemis comestis in maxima quantitate; incidit enim in alui fluxum violentissimum ex quo cibos omnes indigestos, & crudos, intactos à calore ventriculi eiciebat, maxima cum putredine: purgauimus primis ipsis diebus antimonio nostro, & syrupo deinde corallorum, aqua cinnamomi admixta vsus est per octo dies, sero & manè sumendo, & sic curatus est perfectè.

Curatio sexagesimasexta, Hepatici fluxus.

Ioannes Dannette, seruus fidelissimus Domini de la Pomarede, incidit in hepaticum fluxum circa annum 1614. in mense Iulij ex potu aquæ frigidæ, & ex lactucis multo aceto delibutis, tempore æstatis sæpissime comestis, sanguinem crudû & aqueum & copiosum per secessum eiciebat, nullo tormine & ventris dolore: vocatus ut huic malo mederer, purgavi ipsum primo extracto Rheubarbari, & præscripsi deinde illi victus regimen calidum & humidum euchymum, & syrupum corallorum, admixta aqua cinnamomi, stillaritia, quo vsus est per decem dies, sero & manè sumendo, ad quantitatem cochlearium duorum & sic curatus est tutò & iucundè.

Curatio sexagesima septima, Schirri lienis.

Flliola Domini de Vernes, annos nata septem anno 1623. correpta fuit febre quartana, & post cu-

& post curationem ipsius incidit in tumorem durum & scirrhosum lienis, prætumidum enim habebat latus sinistrū in regione lienis, nulla apparente inflammatione, urinas eijcebat nigras & turbidas; curata fuit solo usu aquæ stillatiæ tamarisei, cum oleo vitrioli; sumebat singulis matutinis horis, ieiuno ventriculo, vncias quatuor istius aquæ, cum guttulis septem olei vitrioli, & intrā mensem perfectè curata fuit: prius autem purgata fuit nostro antimonio, dum febre quartana laborabat, ut visum est ante, rediitque eadem febris, anno 1623. & per sex menses duravit, & scirrhum reliquit in liene, à quo curata est.

Curatio sexagesima octava, Icteri.

Petrus de André, Tolosæ, anno 1623. ingenuus adolescens studijs Tolosæ nauans operam, subito correptus fuit ictero viridi, quem & nigrū dicunt medici: vocatus ego statim, quia tunc temporis Tolosæ eram, inueni ipsum febriculis laborantem, & prætumido liene; erat enim apparens tumor & dolor in latere sinistro, nigra etiam erant urinae. Statim eo ipso die purgaui ipsum antimonio meo, data communi dosi. Deinde præscripsi iulapia aperientia, ex decocto radicū aperitiuarum, cui addidi syrupum de limonibus & oleum vitrioli, cum parum aquæ cinnamomi, & illo usu huius iulapij per quindecim dies, curatus est: in fine quorum dierum iterum purgatus est antimonio nostro, & balneatus est, balneo calido aquæ dulcis, & media parte vini, & ab egressione è balneo sumebat ʒss. antimonij nostri su-

dorifici & coopertus in lecto sudabat, idque per quatuor dies factitatum est: ungebatur etiam tunc temporis regio lienis essentia & oleo succini albi, & sic perfectè omnino curationem absoluius.

Curatio sexagesima nona, Hydropis.

ANno 1621. mense Decembri, apud Tolosates fuit ingenuus adolescens, cuius cognomen la Roque, iuris ciuilis Doctor & in suprema Tolosatum curia Aduocatus, filius Procuratoris diligentissimi, annos natos 32. qui ob prauam viuendi consuetudinem, & quamplures diurnas, nocturnasq; intempestiuas comestationes, quamuis satis temperatè & honestè admodum factas, incidit in tumorem vniuersalem totius corporis, quem anasarcam dicunt Medici. Vocatus ego tunc temporis Tolosæ degens, cum alio medico clinico huiusce familiæ, remedia vulgaria dogmatica præscripsimus, quibus vsus est, sed in vanum: symptomata omnia huius morbi inuitis nostris medicamentis, vegetiori robore & vigore crescebant. Tum pater illius adolescentis vnà cum matre, me priuatim rogant vt si quid haberem arcani, & secreti ad curandum filium illum vnicum, libenter porrigerem; confidebant enim plurimum remedijs chymicis. Itaque rogatus, tractaui illū spagyrica methodo; nihilominus tamen prius ego communicauì omnia mea remedia medico suo clinico: annuit tandem ipse, cum cerneret voluntatem parentum, & ægrotum quasi desperatū, aut saltem summopere periclitantem. Dedi ergo antimonium meum purgatiuum per tres subsequentes

dies, ad granorum 20. quantitatem, singulis do-
sibus, quibus multa pituitosa eiecit: purgato cor-
pore, iulapijs aperientibus vsus per quindecim
dies; potiones & doses singulae alterabantur sy-
rupis margaritarum, & olei vitrioli guttulis decem,
cum tinctura auri. His transactis diebus purgatus
est iterum antimonio nostro; deinde sudauit per
octo dies in hypocausto artificioso, in lecto suo
composito, potrecta prius semper drachma vna
antimonij nostri sudorifici, qua cum calore arti-
ficioso illo, mulcum sudabat: vsus est deinde ad
roborandum hepar & ventriculum opiata se-
quenti. ℞. salis corallorum & margaritarum ana
ʒij. tincturae auri ʒij. essentia anisi, & cinnamo-
miana ʒss. lapidis bezoartici mineralis nostri qui
est antimonium sudorificum nostrum ʒj. mosci &
ambari grisei ana ʒss. corticis citri conditi, aqua
cinnamomi dissoluti, & per seraceum transmissi
ʒij. misceantur & incorporentur simul, & fiat
opiata, de qua sumat ad quantitatem nucis
auellanae singulis matutinis horis, ieiuno ventri-
culo: vsus est hac opiata per mensem, & sic per-
fectè curatus est, & liberatus à morbo illo crude-
li, confirmato, & desperato: praescripsimus dein-
de optimum viuendi regimen & consulimus vt
balnea loci Dencausie, singulis annis, vernante
tempore adiret, ibique potaret per septem, aut octo
dies: & sic vindicatus est omnino à reciduiis, &
viuit adhuc incolumis & sanus, pius & deuotis-
simus, presbyter iam factus.

*conserva
vita*

*Curatio septuagesima, Febris
Quartanae.*

VXor Domini de sain& Pierre, Procuratoris vigilantissimi in curia Præsidiali Tolosana, anno 1623. mense Decembri, detenta fuit febre quartana, grauissimis concomitata symptomatis, nausea, vomitu, deiecto & deperdito prorsus appetitu, viriûmque omnium summa debilitate, annos nata 25. cui dogmatica remedia per quatuor menses à Tolosanis medicis præscripta fuerant, at in vanum: curata tandem fuit vsu solo quotidiano superioris præscriptæ opiaræ, & tincturæ corallorum à me præscripto, per mensem integrum, intrâ quem perfectè curata fuit à febre & symptomatis.

*Curatio septuagesima prima, Icteri viridis
cum grauissimis symptomatis.*

ANna de Maleprade, iuuenis admodum puella annos nata 16. cum menses illi adhuc non fluxissent, pallido & subuiridi colore, per totum corpus tincta est, cum grauissimo capitis dolore, nausea, vomitu, difficultate respirandi quàm maxima, & virium prostratione: multa fuerunt adhibita remedia, ad eam curandam dogmaticè præscripta, sed omnia in vanum. Ego autem vocatus, cum consobrina mea esset proxima, purgavi ipsam sale vitrioli perquàmoptimè præparato, & ad al-

*Curatio septuagesima tertia, Colicæ
doloris.*

Dominus de Bardichon, Præses in curia Præ-
fidiâli Lauraguensij, & Protopræses in curia
Carcassonensi antios natus; 5. anno 1624. in men-
se Septembri in colicum dolorem incidit adeo
crudelem, vt sibi violentas fere manus inferre
veller, ni prudenti qua vigebat mente, ad into-
lerabiles illos pati dolores commotus fuisset:
itaque conuocauit illico medicos omnes ciuita-
tis Carcassonensis; at nihilominus vana fuerunt
omnia remedia, nec villo pacto dolorem lenire
potuerunt: itaque angarium subito ad me misit, vt
vnâ cum illo angarios sumerem equos, vt vitæ
suz præsentaneo periculo succurrerem: quo acce-
pto subito equum conscendi, & præcipiti cur-
su Carcassonam tetendi, quam tribus horis
appuli & subito ægrotantem visitaui, mortuum
fere, concauis temporibus, naso acuto, lini-
dis oculis, facie tota cadauerosa, liuida & sub-
uiridi colore tincta: verbis auxiliarijs ipsum
refocillaui, sanitatem quàm subito promitten-
do. Itaque subito, præsentissima hora, dedi vi-
ginti grana antimonij mei in aqua theriacali, &
cõfestim vomuit quàm maxima pituitosa, & biliosa,
multasque fecit sedes eiusdem naturæ: inte-
rius inieci mus clysteres carminantes ex decocto
herbarum calidarum cum vino optimo, admixto
deinde spiritu vini, & oleo anisi, carabes, &
rutæ, & sic intra quatuor, aut quinque horas

quieuit dolor, & satis pacatè dormiuit, qui quatuor noctes & dies integros vigiles & insonnes transegerat. Sequentibus verò diebus per quatuor dies iterum purgatus antimonio meo, copiosissima eiecit supra & infra: tum demum refocillatus eius ventriculus & hepar conserua seu electuario vitæ supra præscripto: & sic perfecte curatus est: at intrà quindecim dies redijt dolor & morbus cum grauioribus adhuc symptomatis: vocatus iterum eadem repetij, & præparauit corpus multis iulapijs, & purgauit ipsum antimonio meo, & ità iterum cessauit dolor & morbus: nihilominus obtusum & obscurum semper circa vmbilicum persentebat dolorem, cum brachiorum & scapularum frigiditate torpore, necnon dolore aliquo, & tussicula, qua semper diuexabatur. Itaque ad debellandum huic pertinacem morbum, consului illi, vt Dominum Andream Desprit medicum famosissimum, Biterris degentem aduocaret, vt vnà cum illo, *antidotariorum nostrorum* loculos omnes scrutarermur, ad hunc crudelissimum hostem debellandum. Vocatus ergo Dominus Andreas Desprit, consilium iniuimus pro salute eius integra & absoluta, neue amplius in recidiuam incideret: erat enim tunc temporis perfecte ab omni dolore liber, at recidiuam timebamus, quòd cibus quamoptimis quibus utebatur, non reficeretur: Itaq; ex consilio Domini prædicti Andree purgauimus ipsum multoties, & balneauimus ipsum balneo calèti, & vltimò antimonio meo purgatus est, & aqua cinnamomi & anisi post passus vsus est: & sic Deo iuuante perfe-

Etissime curatus est, & vixit adhuc, nec amplius tentatur illo crudeli morbo, in quem incidit ex frequenti potu frigida aqua, vigente canicula, vini que refrigerati intra puteum profundissimi.

Curatio septuagesima quarta, Hemorrhoidum Cancrosarum.

Reverendus in Christo Pater Cyrillus, Religionem Capucinorum profiteus, vexatus fuit per multos annos hæmorrhoidibus, quæ tandem in vlcera depascentia deuenerunt, quibus illicò superuenerunt crudelissimi dolores: desperatum istum Patrem tulerunt, ad conuentum Tolosanum, vt mortem ibi tanquam vltimum istius morbi solatiũ & remediũ expectaret. Anno ergo 1623. in mense Decembri Tolosæ eram, & aliquando Capucinorum Conuentum visitabam, ideò ostenderunt Patres mihi illum religiosum, tanquam ab omnibus medicis desperatum, inuenique illum in lecto iacentem, dolores incredibiles summa cum patientia vincentem, vidi vlcera sua, & hæmorrhoidas tumefactas adeò extranum, vt oui anserini maximi magnitudinem æquarent, vlceratas omnimodo, liuida & nigra carne, mortua & spaciata coopertas, imò & ad internas partes ani & recti intestini procedebat vlcus: febris præterea lenta semper aderat. Quid ergo agerem anceps & dubius hæsitabam; desperabam enim de salute ipsius, refocillaui tamen eius

animum languentem, sanitatem diuino iuante numine promittendo, & ipsum pro me orate precelque fundere rogauit: Itaque dedi illi balsamum dulce saturni, vt beneficio illius carnes mortuae deciderent, & vlcus nitidum & lotum maneret, quod vno solo die factum est: tum demum balsamum sulphuris composui, & loco olei communis & vulgaris oliuarum, apposui oleum hypericonis & oleum vitellorum ouorum, & ex his balsamum sulphuris composui, in quo tantillum camphoræ dissolui, & præcepi vt ter in die ipso balsamo suum vlcus liniret: primo ipso die quo vsus est, cessarunt dolores omnes, & intrâ quindecim dies lecto se seduxit, & ambulauit absque dolore, qui per duos aut tres annos integros, tanquam paralyticus in lecto iacuerat, & vsu solo illius balsami intrâ mensem perfectè curatus est, nec redijt vnquam morbus: viuit adhuc ipse huiusce rei fidelis testis.

*balsam
Sulphuris
pro vlcerib*

Curatio septuagesima quinta, fluxus sanguinis Renum.

DOminus Stephanus de Monard, Regius Consiliarius Castrinoidarensis, annos 33. natus, correptus fuit dolore obtuso renum, & ab ipso dolore sanguinem statim vnâ cum vrinis emisit, magna satis quantitate: quicuit tandem illud symptoma butyro saturni renibus applicato, intrâ sex, aut septem horas, nec amplius redijt; at vrinas albas lacti similes omnino, per duos annos, fœtidas, & purulentas reddidit: anno

tandē 1621. curatus fuit vsu tinctura corallorum in aqua therebentina rectificata: sumebat singulis matutinis horis ꝑ̄ss. aquæ rectificatæ therebentina venetæ cum ꝑ̄ss. tincturæ corallorum: habes autem descriptam tincturam corallorum in Myrothecio nostro, cap. 22. lib. 3. butyrum autem saturni est commune illud refrigerans quod paratur ex dissolutione plumbi calcinati in aceto distillato, ex qua dissolutione clarificata & filtrata cum oleo violaceo aut rosaceo paratur agitatione & motu harum duarum substantiarum vnguentum seu linimentum quod butyrum dicimus, ob similitudinem butyri veri & istius, quod est medicamentum summo pere refrigerans, adstringens, & abstergens: hinc est arcanum erysipelatum & combustorum omnium.

butyrum
saturni
refriger.
arcan.
est erysi
pelatum,
& combust.
orum

Curatio septuagesima sexta, Scabiei vniuersæ, feбри lenta sociatæ.

DOminus N. scabiosus fere toto suæ vitæ tēpore, herpetibus varijs & multis per totum corpus sparsis, melancholico admodum temperamento & multo sanguine adusto repletus, anno 1623. petijt domum meam, ibique multa mihi patefecit, quæ non est fas mihi proferre, ne descriptione peculiari & rigida nimis, ignotum hominem notissimum faciam. Curauī ipsū sequenti methodo: Iniecto & eiecto enemate communi, emollienti & refrigeranti, purgavi ipsū antimonio meo, prima curatione istius cēturiæ descripto,

per quindecim dies, diem vnum in principio pro quiete interponendo: in fine autem interponendo duos dies, vt quiesceret à purgatione: deinde vsus est per mensem integrum arcano sanguinis ad quantitatem gutt. xvj. in drachma semisse essentia corallorum: habes autem hæc medicamenta descripta in Myrothecio nostro vt supra diximus multis in curationibus: & interim curatus est sensim & insensibiliter à scabie sua, & omnibus suis symptomatis: nisi deinde sanguinem ex basilica brachij dextri ad quantitatem ℥ viiij. & balneauit ipsum quater in balneo aquæ dulcis tepidæ, & victum humidum & refrigerans & euchymum præscripsi, & sic perfectè curatus est & viuit adhuc qui fere leprosus erat.

*Curatio septuagesima septima,
Arthritidis.*

Dominus Germanus de Poulastre ditissimus Mercator loci de Vignonet annos 60. natus arthritide laborauit per multos annos, & schiaticis doloribus atrocibus: quibus tandem victus aut mori aut sanari cupiens, permultos conuocauit medicos, vt malum tollerent, aut saltem mitigarent: Tentauit ergo permulta remedia, dietas resumptiuas, purgationes & balnea; sed hæc omnia frustra. Vocatus tandem ego purgavi ipsum antimonio meo, in prima curatione descripto, viginti grana porrigendo in iusculo, & per sex dies continuauit purgationem, diem vnum interponendo: vngendo interim partes dolentes oleo

ceræ & essētia ossiū humanorū, descripta in primo lib. Myrothecij mei, cap. 10. in quo Capite habes methodum faciendi illam essentiam, & eius vsum. His solis medicamentis intrā illos sex dies curatus est, & quieuit omnino dolor ille acerbissimus, qui medicorum multorum opprobrium per multos annos fait: Ne rediret autem dolor, cōsului ægro-
tanti vt singulis mensibus vteretur purgatione illa antimoniali in plenilunio, & semel in hebdomada fumeret arcani sanguinis mei guttulas quindecim in aqua cinnamomi: quod factitatum est, & perfectè sic curatus est, & viuit adhuc ab omni dolore arthritico & schiatico liber & incolumis.

Curatio septuagesima octaua, Atrocissimi doloris ventriculi, & inappetentiæ.

D Omina Francisca de Villeroux, ingenua puella & virgo honorāda Castrinoidaren-
sis, annos nata 25. ob pallidos virginum colores, quos passa est per multum tēpus, & ob paucas menstruas purgationes quibus ticubantem, & labilem sanitatem adhuc sustinebat, incidit in deperditū appetitum & dolorem ventriculi atrocissimum, quo cruciabatur diu noctūque, tam post pastum, quàm ante pastum. Vocatus ego vt malo succurrerē, malum suspicatus sum prouenire ex humoribus biliosis, acribus, & mordacibus, tunicis ventriculi adhærentibus: hi autē humores sunt species tartari vitriolati chemicorum; nec me

sefellit opinio; nam data drachma vna salis vitrioli præparati secundum artem nostram in Myrothecio descriptam, cum iusculo, vomuit quàm maxima biliola, viridia, amara maximè, & per sex dies passa est alui fluxum biliosum, seu tartareû vitriolatum, absque tormine & intestinorum dolore, nec ventriculi: & sic perfectè curata est ab illo dolore atrocissimo, & redijt appetitus & edēdi summū desiderium; viuit adhuc nubilus & ingenua puella.

Curatio septuagesima nona, Mola.

PVella nobilis & ingenua valde, annos nata 35. cuius nomen & familiam tacere me decor medicus consulit, persuadet, & postulat Hippocraticum iusiurandum, anno 1626. apud Tolosates ab omnibus medicis & potissimum à Domino Queyratio in ciuitate Tolosana Medico, & Professore meritissimo, necnon clarissimo, tympanite affecta iudicata fuit, ob signa apparētia, & historiam morbi ab ipsamet agrotante recitatam, quæ omnia hepar affectum, refrigeratum, & obstructum manifestare videbantur: & quòd puellam honestam, & omnimodè castam, certissimè crederent (quod vnà cum ipsis ego ipse semper credidi, & semper credam) ob opinionem Galenicorum quamplurimorum molam, absque concubitu virili generari non posse existimantium, maluit semper Dominus Queyratius inclinare ad opinionem tympanitis, scirrhi hepatis & lienis, quàm ad molæ suspicionem vllam. Ego verò cùm existimem molam generari ex sola imaginatione concubitus, esseque monstrum vi & potestate muliebris imaginatio-

nis productum & generatum; semen enim muliebri tunc temporis defertur in uterum, ibique calore suo innato, & spiritibus mechanicis & archæis disponitur ad imperfectam illius monstri generationem, cum ex imperfectione sua, hoc est est ex se solo nihil humani perfecti generare possit, quod à Deo & natura nullo pacto ad generationem perfectam ex se solo destinatum sit, sed unà cum virili semine permixtum, & in loco debito & à natura destinato conclusum. Nec asserant Hippocratem huic opinioni repugnantem lib. de morbis mulierum, & lib. de sterilibus, ubi eadem verba repetit his verbis: Mola vero generatur, cum multi menses modicum semen & morbosum conceperint: nam ex verbis his colligi non potest, semen virile debere concurrere ad generationem molæ, modò semen muliebri & scæmineum adsit, sufficit, quod intellexisse Hippocratem, audacter & intrepidè assero; nam semen illud quod per vehementem imaginationem concubitus, & cupidinis ardorem, in somnijs in uterum defertur paucum est, & morbosum; nam à morbo producitur, quem Galenici incubum dicunt. Ex illo ergo semine paucò, & morbosò, quod in incubo educitur, in puellis ætate valentibus, mola generatur; nec in præsentis morbo scellit me opinio hæc, molam suspicatus, non tympanitem, ex motu in utramque uteri partem, & ex elato, modò depresso utero ex flatibus ex corruptione ortis: medicamenta discutientia molam dedi, & uterum aperientia: imprimis enemata validissima ex decocto matricarium in vino albo generoso factò inji-

eiēda curavi : deinde salem vitrioli in potionē dedi , vt sursum deorsúmque deijciendo mola concuteretur , antimonio meo superius citato deinde purgavi , vltimò tandem aquam cinnamomi stillatitij ad magnam quātitatē , vncias putà quatuor , cum drachma semisse essentiaē cariophyllorum , & guttulis viginti essentiaē sabinæ sumpsit , & illico post tres horas apertus est vterus , & fluxit sanguis serosus magna in quantitate : & deinde viridia multa & putrida valde , & tandem molæ quamplurimæ eiectæ sunt magnitudine nucis vulgaris , & vna magnitudine nucis Indiæ , & eiusdem figuræ , venulis infinitis scatens , rubei & liuidi coloris & carnosæ substantiæ : Hæc autem omnia eiecta magno cum labore , & dolore fuerunt , non secus vt assolet fieri in legitimis , laudatis & perfectis partibus , imò crudeliorem & atrociorem dolorem partus molæ , quàm partus fœtus perfecti existimo ; cum hic partus naturalis sit , & secundum naturæ leges ; ille verò præter naturam & crisis innaturalis , & potissimū cum fiat vi & potestate medicamentorū , quæ extra tempus aliquando legitimum , vterum aperiunt , & quod intus est , concusso vtero foras pellunt , quod fieri non potest absque violentia , & periculo ægotatis : at cum morbus hic lethalis sit , tentanda potius sunt extrema remedia , quàm nulla , ex opinione Hippocratis & Celsi , quod factitatum est , cum felici & prospero successu in prædicta puella ; nā viuit adhuc sana , & ab omni morbo vindicata , testes sunt infiniti Tolosates qui historiam morbi sciunt , & viderunt curam in mense Aprili , anno 1626.

Curatio octogesima, Disuria.

Reverendus in Christo Pater Margue-
 staud, annos natus 70. pius ac devotus So-
 cietatis Iesu Religiosus, postquam Tolosæ in Ec-
 clesia divi Saturnini anno 1626. per totum qua-
 dragesimale tempus concionatus fuisset magna
 facundia, & maximo fructu, erectis ad Deum
 Tolosatum animis, dum discederet, Burdigalam-
 que peteret, in oppido Verdū dicto incidit in disu-
 riam urinæ difficultatem omnimodam, cui mede-
 ri & auxiliari non potuerunt medici conuocati.
 Periculū tanti viri Tolosam illicò petuenit, & Re-
 ligiosi patres eiusdem Societatis, remedia quæren-
 tes, venerunt tandem ad me tunc temporis Tolo-
 sæ degentem, historiāque morbi narrarunt, &
 remedia omnia quæ à medicis prudentibus & do-
 ctis præscripta fuerant, nihilominus inualida
 omnia, & absque solatio. Desperato ergo & morti
 quàm proximo propinandum dedi salem vitrioli
 in spiritu petroselini, & aqua cinnamomi dissolu-
 tum, ad quantitatem ʒ j. cuius haustu multa viri-
 dia amara, narcotica, quæ spiritibus suis narcoti-
 cis facultatem vesicæ expultricem interimebant
 euomuit, & illico multam quantitatem urinæ re-
 iecit; eum tamen antea nec algaria, nec purga-
 tionibus vllis, nec iulapijs vrinam discutientibus,
 nec vnguentis, nec linimentis, & reliquis alijs si-
 milibus potuerit vesicam suam exonerare: deinde
 vsus est per aliquod tempus spiritu tartari, spiritu
 vitrioli & cremore tartari, simul mixtis ad quanti-
 tatem minimam, & in iusculis suis permixtis &
 potatis,

potatis, curatus Deo dante est, & sanus viuit adhuc, etsi septuagenarius sit.

*Curatio octuagesima prima,
Mania.*

Eodem anno curati sunt quatuor maniaci, sola antimonij mei supracitati purgatione, hebdomadatim facta, & assidua in iulculis, & potu ordinario essentia mercurij acidæ potionem, vnâ cû nepêthe seu laudano Paracelsi: sumebant enim in singulis suis potionibus quæ ex simplici aqua fontis erant, guttulas decem essentia acidæ mercurij, cum tribus guttulis laudani; & hisce solis medicamentis spiritus mercurij vitæ ad cerebrum Palladisque arcem sublimatus, & alcoholifatus supra debitum & legitimum cerebri temperamentum, maniam causans & furorem, coagulatus est, & à subtilitate dimotus, ita vt ad naturalé redactus ordinem ad congruas & decentes vitæ humanæ actiones edendas compulsus sit intrâ quadraginta dies, aut quinquaginta. Hanc essentiam acidam mercurij habes descriptam lib. 3. Myrothecij cap. de mercurio: Et hac eadem methodo curati sunt plusquam sexaginta maniaci, quorum nomina recensere mihi non licet si quis tamen medicorum hæc medicamenta præ manibus habeat, & maniacos in loco clauso detentos detineat, ne verbis suis copiosis, & motibus importunis fortiùs incalescant quàm postulat eorum cura, quæ in quiete & tranquillitate tum animi, tum cor-

poris consistit, certo certius curabit omnes maniacos.

*Curatio octuagesima secunda,
Vertiginis.*

ANtonius Canut, Bibliopola Tolofas, anno eodem, annos natus 25. vertigine laborabat, nec vnquam curari potuit purgationibus vulgaribus & phlebotomia: curauit ipsum, eius corpore purgato, antimonio nostro supra citato, & essentijs thymi & succini albi, cum aqua cinnamomi permixtis ad quantitatem guttularum trium in $\frac{5}{j}$. aquæ cinnamomi stillatiæ, & summo mane ieiuno ventriculo pota: deinde ad præseruationem singulis plenilunijs præscripsimus dosim antimonij nostri vnicam, quæ est, xvj. granorum quæ cum vino generoso exhibentur seruato regimine & custodia. Post hanc purgationem vitur conserua vitæ, seu electuario vitali nostro, quod componitur vt superius diximus ex oleo cinnamomi, anisi, feniculi, vitrioli, tinctura auri, sale margaritarum, & corallorum, moscho & ambaro, simul permixtis, obseruata vniuscuiusque dosi varia & diuersa, & omnibus amalgamatis, vnà cum cortice citri conditi tripla ad pondus omnium: hoc electuario vitur ad præseruationem tanti mali post purgationem antimonialem nostram, & sic perfecte curatus est. Eodemque anno fecimus curationem eiusdem vertiginis aliam apud Tolofas tes similibus medicamentis.

*antimonij
sui dosis
grana xvj*

*Curatio octuagesima quarta, doloris
Schiatici.*

Germanus de Polastre, Mercator nostræ re-
gionis famosus, detentus fuit per sex men-
ses in lecto paralyticus, à dolore schiatico: cura-
ui ipsum antimonio nostro purgando ipsum
per sex dies, vt pars tartari morbum causantis vi
attractiua antimonij foras pelleretur: post purga-
tionem hanc vsus est mercurio nostro diaphoretico
rubeo, fixo, vt per sudores reliqua pars tartari
euacuaretur quæ in synouijs residet, hoc est, in pe-
riostibus, & humoribus vitalibus, ex quibus im-
mediatè partes nutriuntur: hi enim humores sy-
nouix dicuntur ab hermeticis medicis, & quia
resident in periostio, ad ossa nutrienda, idè syno-
uias periostia dixi, termino vsus Galenico, ad ma-
iorem intelligentiam: non quod synouia perio-
stium sit, sed humor residens in periostio ad os
nutriendum. In hoc ergo humore, sal pollens &
vigens dolores illos atrocissimos causatur & effi-
cit, & n̄ extinguatur vis illa, impossibile est me-
dico dolorem arthriticum lenire; spiritus autem
salis assumptus, & admotus acrimoniam salis bal-
sami vitæ temperat, vnde in curatione arthritidis,
& omnium eius specierum primas tenet, post
purgationes antimoniales & mercuriales sudori-
ficas, quæ per insensibilem transpirationem, sa-
lem illum superabundantem balsami naturalis
foras eliciunt; nam sal balsami naturalis nostri,
nunquam acrimoniam acquirit & causticandi

remed.
arthritici
doloris

facultatem, modò benigno mercurij humore dissoluatur. Humidum ergo mercurij mineralis ab omni venenata qualitate priuatum, & ex acido in dulcem liquorem conuersum, arcanum est arthritici omnis doloris: his solis medicamentis curauimus prædictum Dominũ de Polastre sexagenarium, & viuit adhuc incolumis ab omni dolore.

Curatio octuagesima quinta, febris Erratica.

Dominus Guinoel Douradou, Castrinouidarenſis, Tolosa degens & studens, annos natus 18. ob studij feruorẽ incidit in febrem quam Galenici erraticam dicunt, quòd typos, periodos, & paroxifimos non obseruet æquales; piger omnino ex summa diligentia factus, & somno diurno nocturnoq; sepultus, macilentus admodum potum & cibum fere omnem respuebat, febre lenta semper laborans, à pastu exacerbascente, hecticum desperatæ salutis iam iam iudicabat pater suus Castrinouidarenſis Regius Consiliarius, cùm post tres purgationes antimoniales, & vnã ex sale vitrioli in aqua cinnamomi dissoluto, & post iulapia ex syrupo cerasorum acidorum, & spiritu vitrioli, & aqua rosacea, præscripta & assumpta factus est sanus, & ab omni suo morbo liber. Erat autem hæc febris tartarea mercurialis narcotica, in ventriculo sedem habens.

Curatio octuagesima sexta, Syncopes.

Dominus Stephanus de Monard, curatione 75. à fluxu sanguinis rerum curatus, anno

1626. die 12. mensis Maij: incidit in syncopem tribus horis post prandium, somno meridiano hac in die potissimum correptus, quod antecedentem noctem insomnem transegerat; à somno experrectus incidit in syncopem & animi deliquium, ex quo non potuit nec vino, nec spiritu vini, nec aqua cinnamomi extricari: hinc parentes Apoplecticum ipsum iudicantes, & conclamatum esse de salute eius, rogarunt me, vt omni studio cura & labore illi auxilium ferrem. Curatus est vomitu prouocato, magna aquæ cinnamomi copia pota, & deinde refocillato ventriculo & cerebro arcano nostro pestis, ad quãtitatẽ $\zeta\beta$ præscripto, & assumpto. Componitur autem istud arcanum, ex extracto theriacali, extracto confectionis Alchermes, extracto limonum, malorum aurantiorum, extracto gentianæ, carlinæ, & Angelicæ, & tinctura auri & corallorum simul permixtis, & in vitro oprimè clauso asseruatis, additis nonnullis, granis moschi & ambari.

arcan.
pestis

*Curatio octuagesima septima,
Catarrhi.*

Dominus de Biscambi, Mercator Castrinouidarësis, anno 1626. in mense Maio, catarrho fuit affectus, & fere desperatus à medicis: curauì ipsum purgãdo ter antimonio meo, per tres auro-ras subsequentes, & propinatis deinde sex iulapijs, ex decocto pectorali paratis, cum extracto limonum, & malorum aurantiorum, & extracto peoniae cum spiritu vitrioli, & fumigio carabes albi

cundo cubitum: peractis quibus medicamentis intrà sex dies fuit ab omni febre liber & tussi, qua summopete premebatur.

Curatio octuagesima octava, Morbillorum.

FRANCISCUS de Fabre filiulus meus, annos natus quatuor, anno eodem circa mensem Maij, tentatus fuit, & afflictus morbillis, cum febre violentissima, alui fluxu, & conuulsionibus fere perpetuis: vindicavi ipsum à pestilente illa febre, & lethalis suis symptomatis antimonio meo sudorifico, quòd alij minerale bezoar dicunt, & Paracelsus vnicornu minerale, quo vsus est quotidie, ad quantitatem granorù viij. & in iusculis vsus est etiam arcano nostro pestis, ad quantitatem quatuor aut trium guttularum in iusculis. Arcanum autem istud pestis descripsimus, in curatione 86. superiori, & his solis medicamentis perfectè curatus est cum tamen lethaliter laboraret; nam morbilli illi, quibus scatebat per totum corpus, nigri & liuidi erant, & febre violentissima, lethargo coniuncta per viginti & octo dies laborauit; nihilominus tamen saluum fecimus ipsum his solis medicamentis supracitatis, & infinitos alios infantulos similiter curauimus, similibus morbillis laborantes, hoc potissimum anno, in quo in infantulos & alios fere omnes qui non amplius tentati morbillis fuerant grassabatur hic morbus, cum periculo mortis, quorum quamplures liberauimus beneficio horum

*bezoar
mineral.
id est anti-
mon.
sudurif.*

supracitorum medicamentorum, diuino auxiliante numine.

*Curatio octuagesima nona, Luis
Venerea.*

Quamplurimi sunt qui medicamentis chymicis meis curati sunt perfectissime ab hac lue, & infectione, qui nullo pacto ab ordinariis & vulgaribus medicamentis, diæta putà vulgari, decocto gaiaci, falsæ parillæ, & radicis Chinæ, & vntione vniuersali vnguenti Neapolitani, & fumigio cinabrij potuerunt curari, qui solo frequenti vsu antimonij mei cathartici, hebdomadam sumpti, & continuo vsu sulphuris rubei, ex antimonio & sublimato mercurio eliciti, quod & aliàs diximus minerale bezoar rubeum, seu antimonium rubeum sudorificum, quod modò fixetur, vires auri potabilis æquat. His solis medicamentis perfectissimam luis venereæ curam absolui-
uimus, quamplurimis in subjectis, diuersis ætate & sexu, imò ipsos lactantes infantulos, eadem lue infectos, horum medicamentorum vsu, ab omni vitæ periculo vindicauimus, quorum nomina recensere iureiurando Hippocratico, prohibemur.

*Bezoar
minerale
rubeum*

*Curatio nonagesima,
Lepra.*

Non possum infames hos ægotantes nominare, nondum enim publicos leprosos cura-

ui, sed tantum tacitos, & qui nondum vulgo innotuerant, quod in his lepra non esset adhuc confirmata, sed incipiens; atrocibus tamen adedè symptomatis concomitata, vt nî remediis malo obuenissent, de sanitate ipsorum conclamatum fuisset omnino: vidi enim iuuenem annos duodecim natum, à parentibus sanis, & laudati sanguinis, & balsami ortum, toto corpore scabie sicca scaten-tem, nullo pure & sanie ex scabie illa profluen-tem; at ficcis squāmis, veluti in capite ex tineā ori-ri solet, totum corpus penitus, sola facie excepta, conspurcabatur. Illum ipsum curavi antimonio meo purgatiuo, illius dosi de quidecim in quindecim dies iterata; & singulis aliis diebus sumendo cochleare vnum tincturæ coralli, cum guttulis tribus tincturæ auri, idque omne in iusculo opti-mo. Intrà octo menses curatus est perfectissimè, ab omni illa lue tartarea, quam Galenicè loquen-do lepram dicere possumus.

*Curatio nonagesima prima, Tumorum
œdematosorum circa cerebri
emunctoria.*

Dominus de Bonal, mercator Castrinouida-
rensis, ob defluxiones frigidas humoris pi-
tuitosi in colli glandulas, varios patiebatur tumo-
res œdematosos singulis annis, quāuis natus es-
set annos 40. ita vt ab omnibus scrofulosus
crederetur: curavi ipsum ab hac infirmitate, sola
purgatione bis in anno iterata antimonij mei, &

appositione emplastri calcinati magni Paracelsi, quod hanc suscipit compositionem. ℞. Sulphuris balsami ℥ j. ceræ albæ ℥ vj. olei hypericonis ℥ j. mercurij præcipitati rubei & loti, ℥ j. terræ mortuæ colchoraris ℥ β. misce, reducantur in emplastri consistentiam, cuius vsu curantur œdemata cuncta, & scrofulosi tumores: nam virtute balsami sulphuris, & olei hypericonis, ad pepasum & maturationem perducuntur, & virtute mercurij, & terræ vitrioli, ad cicatricem laudatam, vt multoties vidimus experientia.

*emplastr
paracelsi
contra
scrofulas
& œdemata*

*Curatio nonagesima secunda,
Lumbricorum.*

FRANCISCUS Faber, filius meus, annos natus 5. incidit in febriculam in qua modò frigus, modò calor exteriùs vigeabant, & conuulsiones nonnullæ diuersis horis: curavi ipsum vnica dosi antimonij mei, ad grana quatuor porrecti, & in aqua cinnamomi, vnà cum aqua absynthij permixti, duabus horis à potione vomuit multos lumbricos: deinde vsus est per tres dies spiritu maiorum aurantium, in aqua absynthij, & perfectè curatus est.

*Curatio nonagesima tertia, Luis venerea
in infantulo anno vno nato.*

ANNO millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, apud Castrinouidarenses viguit &

grassata est lues illa, propter militum turmas quæ per totum ferè annum Castrinouidarij deguerunt & hybernarunt, ideoq; ex contagione multi infecti sunt, & præcipuè infantuli lac sugentes impurum, & hac lue contaminatum: curauì ego multos, & præcipuè infantulum vnum, anno vnico natum, sola frequenti dosi sæpius iterata per duos menses mercurij dulcis: hic mercurius paratur sequenti methodo. ℞. Mercurij optimè loti ℥ ij. auri optimi ℥ j. linetur subtilissimè aurum, aut in tenues bracteolas diducatur, & amalgametur cum mercurio loto: deinde recipe sublimati vulgaris ℥ ij. misceantur & incorporentur simul in mortario marmoreo, agitando simul, donec perfectè vniantur: ponantur deinde in ouo physico optimè clauso, ad sublimandum: puluis albus tenuis, vt farina, summum capitis oui petens reiiciendus, medius verò albicans, & scintillans, rutilansque custodiendus est, & ter sublimandus, & in singulis sublimationibus ab illa farina facta, seu puluere tenui superiùs dicto, vindicandus; quia venenosus est: hic mercurius verè dulcis est, luisque venereæ summum antidotum; purgat solùm inferiùs, & nulla molestia: huius mercurij frequenti vsu puerulos curauì multos, qui vlceribus venereis à capite vsque ad pedes, toti scatebant.

Curatio nonagesima quarta, Veneni incatamento sumpti.

Circa annum 1615. in montibus Pyrenæis, fuit nobilis quædam mulier, quæ sagarum in-

cantamento pomum acceperat venenatum, à cuius esu remansit mulier illa per tres annos integros tabida, summo cum dolore ventriculi, & nausea perpetua, absque tamen vomitu vlllo: multos conuocauit Medicos in consilium, tum Ciuitatis Tolosæ, tum Monspelij, vt sanitatem amissam restituerent, sed in vanum omnia; tabidam, & hecticam in vltimo gradu iudicabant omnes. Aduenit tandem vt saga illa, à qua pomum venenatum acceperat, mortis supplicio adiudicata fuerit, variis conuicta criminibus, palàmque facta est se prædictam Dominam, & honestam mulierem pomu venenato, à Dæmone sibi tradito, in incurabilem morbum perduxisse. nî summus Deus open ferret. Itaque post mortem sagæ illius, & notitiam sui mali vocauit me, historiàmque narrauit, dixitque mihi se semper in ventriculo sentire motus varios, & diuersos animalium quorundam morsusque eorundem. Miseram hanc ægrotantem benignissimis ego refocillaui verbis, animùmque titubantem, & de sanitate despondentem ad quamdam spem salutis voto Virgini Mariæ factò reduxi: consuluimus deinde, vt se Sacramentis Ecclesiæ Romanæ muniret, diuino puta Eucharistiæ cibo: deinde dedimus medicamenta chymica sequentia, dissoluimus salem nostrum vitrioli in aqua saluæ & potandum dedimus, summo manè; à cuius sumptione post duas horas vomuit nigra multa cum vero sabulo nigro, & tandem vomuit ranam viuam squamosam, maxima cum difficultate, & deliquio animi: sequenti die iterata dosi eiusdem salis vitrioli, vomuit eadem nigra & sabulosa, & tandem summa cum difficultate,

& animi deliquio, & virium prostratione summa vomuit serpentem squamosum paruulum, & crocodilum paruulum, magnitudine digiti & longitudine palmi: refocillata fuit potione aquæ cinnamomi, & potione aquæ theriacalis: & postquam vires collegit, à dolore ventriculi, & morfu se subleuatam esse dixit, & in dies deinde melius se habuit, & sanitatem recuperauit pristinam, habitumque tabidum reliquit, recuperato viuido & florido corporis colore.

*Curatio nonagesima quinta, Febris
quotidiana.*

D Omina de la Roquette, vxor Domini de Megrin, incidit in febrem quotidianam, qua detenta fuit & afflicta per tres menses continuos: deinde hepate frigefacto in tumorem œdematosum pedum incidit, anno 1627. circa mensem Decembrem curata fuit à febre illa, & à tumore, vnica dosi antimonij mei; nihilominus tamen curari non potuit vnquam à medico suo clinico, quamplurimis adhibitis remedijs per tres illos menses, at irrita fuerunt omnia, donec antimonium sanitatem restitueret absolutam.

*Curatio nonagesima sexta,
Fistula.*

Filius Petri de Planti annos natus quatuor, passus est per duos annos integros fistulam in fe-

more dextro : tractatus fuit à chirurgo per sex menses , omni arte adhibita , at in vauum omnia tentata sunt , curauit ego tandē ipsum sequenti methodo. Imprimis purgavi ipsum antimonio meo , vt causas antecedentes tollerem ; postquam autem ter aut quater purgatus fuit , fistulam aperuimus scalpello chirurgico , vt fundum eius , & basim videremus , eamque apertam oleo mercurij retigimus & balsamo hypericonis & sulphuris ad cicatricem laudatam conduximus , & sic perfectè curatus est.

Curatio nonagesima septima, Scrofularum.

Petrus de Fontes, paruulus puer annos natus 8. miser & pauper ex natiuitate sua & origine scrofulosus , curatus fuit hisce medicamentis : imprimis per tres dies purgauimus ipsum nostro antimonio datis granis decem singulis illis tribus diebus : deinde apposuimus collo , vbi erant scrofulæ vlceratæ nonnullæ , aliæ tantum non vlceratæ , emplastrum magneticum Paracelsi , quod recipit auripigmenti & arsenici , ana \bar{z} j. sulphuris tantumdem & antimonij etiam vnciam alteram : tritis omnibus & bene permixtis in phialaque vitrea positis , & ad ignem liquatis per horam integram , fit iade massa nigra pellucida , quæ magnes est arsenicalis ; huius triti optimè sumitur vncia vnica , & permiscetur emplastro de sulphure , & fit emplastrum mirum ad eradicandas absque dolore scrofulas , intrà quadraginta dies.

Hoc emplastro vsus sum ad eradicandas has scrofulas, postquam chystes omnes eradicauimus: balsamo deinde sulphuris vsi sumus & sapitis purgauimus ipsum antimonio nostro, & sic perfectè curauimus ipsum intrà tres menses.

*Curatio nonagesima octaua, Tumoris
scirrhusi.*

DOminus d'Annete circa annù 1626. in mense Decembri incidit in defluxionem ad cerebri emunctorium dextrum, ibiq; factus est tumor durus, indolens & magnus. Vocatus in ipso morbi initio, præcepi vt sanguinem funderet ex basilica brachij dextri ad quantitatem \bar{z} vij. Deinde purgavi ter antimonio meo, & emplastrum sulphuris apposui tumori, & pedetentim sic euauit per insensibilem transpirationem.

*Curatio nonagesima nona, Ery-
sipelatis.*

PLures quàm decem anno 1627. curauimus hoc affectu detentos sequenti methodo. Mittebamus sanguinem ex basilica, ad quantitatem viribus agrotantium correspondentem: deinde parti affectæ applicabamus butyrum saturnij, & iulapia præscribebamus ex aqua rosacea & syrupo violaceo recenti, cum guttulis nonnullis olei vitrioli, & sic perfectè curati sunt omnes.

Curatio Centesima, & ultima huius Centuriae, febris Malignae.

Dominus de la Ville, anteambulo Curiae, nostrae ciuitatis incidit anno 1627. mense Martio in febrem malignam grauissimis concomitantam symptomatis; erant enim maculae rubrae per totum corpus, sopor grandis, membrorum omnium dolor profundus, & acutissimus in sinistro latere, cum quadam exputatione biliosa, inquietudines summae, & lentus alui fluxus, cum grauissima febre: curauimus ipsum sequenti methodo. Imprimis eiecto enemate emollienti, & refrigeranti misimus sanguinem tertio & quinto die ad quantitatem vnciarum octo singulis vicibus: deinde vsi sumus Iulapijs Alexandrinis oleo vitrioli alteratis, cum spiritu limonum; demum appropinquante die septimo antimonium sudorificum nostrum, quod vnicornu minerale & bezoart nominamus dedimus, ad quantitatem granorum quindecim cum syrupo limonum & aqua cinnamomi, & die septimo oborto copioso sudore perfectè curatus fuit, & ab omni febre liber die nono.

Conclusio Centuriae.

Dedissem Centurias nonnullas alias aegrotorum, qui omnes fuerunt curati medicamentis chymicis, ad laudem & gloriam chymicae artis nunc certo certius scirem hanc solam Centuriam sus-

ficere, ad tremulos animos & eos omnes qui timent sanitatem suam Chymicis committere rescillandos, & omnino confirmandos, ne amplius timeant: imò confidentius hauriant pocula chymica, vt pote salubriora, & palato gratiosiora. Valete igitur amici Lectores, spero me breui daturum in gratiam vestrum, Theologiam chymicam, in qua & sanitas, tum corporis, tum animæ ipsius, chymia duce poterit haberi: fauceat operi diuinum auxilium, & vos plaudite.

F I N I S.





INDEX CAPITVM
QVÆ IN HISCE NOVEN
LIBRIS MYROTHECII
Chymici continentur.

*Liber primus sequentia tractat Capita, &
prior numerus Caput: posterior
paginam enunciabit.*

| | |
|--|---------|
| D E Spagyrica artis introductione in Me- dicam artem. Cap. 1. | pag. 5. |
| Quòd medicamenta Chymica medicinam decorent. 2. | 9. |
| Medicamentum quid sit. 3. | 12. |
| Qua differentia sit inter medicamentum, alimentum, & venenum. 4. | 13. |
| An medicamenta chymica cæteris omnibus sint præ- stantiora. 5. | 15. |
| An medicamenta chymica fortius alterent naturam, ac perturbent reliquis alijs. 6. | 18. |
| An in præparatione medicamentorum chymicorum coeli ratio sit habenda, & considerandi Planetarum influxus. 7. | 20. |
| De magisterijs animalium, & primò de essentia san- | |

INDEX

| | |
|---|-----|
| <i>sanguinis humani.</i> 8. | 22. |
| <i>De quinta essentia crani] humani.</i> 9. | 26. |
| <i>Ossium humanorum.</i> 10. | 28. |
| <i>Humana carnis.</i> 11. | 30. |
| <i>Urina hominis.</i> 12. | 32. |
| <i>Cerui.</i> 13. | 35. |
| <i>Vipera.</i> 14. | 37. |
| <i>Carnis lupi.</i> 15. | 39. |
| <i>Volpecula.</i> 16. | 41. |
| <i>Galbula ad icterum.</i> 17. | 42. |
| <i>Talpa.</i> 18. | 43. |
| <i>Hirundinum.</i> 19. | 44. |
| <i>Perdicum, caponum, & aliarum auium.</i> 20. | 45. |
| <i>Cancrorum fluuiatilium , aut maritimorum.</i> 21. | 47. |
| <i>Centipedum animalium.</i> 22. | 48. |
| <i>Vermium terrestrium.</i> 23. | 49. |
| <i>Buffonum.</i> 24. | 51. |
| <i>Ranarum que pratis astant , mense Maio & Aprili.</i> 25. | 52. |
| <i>De quinta essentia mosci , ambari , & zibeta.</i> 26. | 54. |
| <i>Cera.</i> 27. | 56. |
| <i>Mellis.</i> 28. | 58. |
| <i>Cornu cerui, & rhinocerotis.</i> 29. | 60. |
| <i>Vngula alcis.</i> 30. | 63. |
| <i>Arungiarum omnium.</i> 31. | 66. |
| <i>Medullarum omnium.</i> 32. | 67. |
| <i>Conclusio libr. I.</i> 33. | 69. |

CAPITVM.

LIBER SECVNDVS.

| | |
|--|-------|
| D E magisterijs vegetantium, & primò de methodo extrahendi eorum spiritum athereum. 1. | 71. |
| Sal volatile vegetantiũ qua methodo extrahatur. 2. | 73. |
| De sale fixo vegetantium extrahendo. 3. | 75. |
| De quinta essentia chelidony. 4. | 76. |
| Hellebori. 5. | 77. |
| Tithymalorum, essula, & lathyris. 6. | 79. |
| Halicacabi. 7. | 81. |
| Rosarum pallidarum, & moscatarum. 8. | 82. |
| De tinctura rosarum rubrarum. 9. | 84. |
| De tinctura florum peonia. 10. | 87. |
| De tinctura florum violarum. 11. | 88. |
| De tinctura florum serpentaria maioris. 12. | ibid. |
| De quinta essentia cucumeris agrestis. 13. | 90. |
| Sambuci. 14. | 93. |
| Ebuli. 15. | 96. |
| Centaurea maioris & minoris. 16. | 99. |
| Bassise marine. 17. | 101. |
| Pepli. 18. | 105. |
| Colocynthidos. 19. | 107. |
| Apij. 20. | 109. |
| Rheubarbari. 21. | 110. |
| Agarici. 22. | 114. |
| Senæ. 23. | 118. |
| Turbit. 24. | 122. |
| Scammonij. 25. | 125. |
| Mirabolanorum omnium. 26. | 128. |
| Gutta gamba. 27. | 131. |
| Mechaacam. 28. | 135. |
| Galap. 29. | 137. |

INDEX

| | |
|--|------|
| <i>Aloës.</i> 30. | 138. |
| <i>Melissophylli.</i> 31. | 140. |
| <i>Mentha.</i> 32. | 144. |
| <i>Thymi.</i> 33. | 148. |
| <i>Gattaria seu Nepota.</i> 34. | 150. |
| <i>Aristologia rotunda, & Consolida maioris.</i> 35. | 154. |
| <i>Papaueris & hyoscyami.</i> 36. | 156. |
| <i>Anisi.</i> 37. | 161. |
| <i>Cinnamomi.</i> 38. | 164. |
| <i>Nucis moschata.</i> 39. | 166. |
| <i>Cariophyllorum.</i> 40. | 168. |
| <i>Gummi Caranna.</i> 41. | 170. |
| <i>Thorebentine.</i> 42. | 174. |
| <i>Myrrha, iburis, & mastichis.</i> 43. | 178. |
| <i>Conclusio libri secundi.</i> 44. | 180. |

LIBER TERTIVS.

| | |
|---|------|
| D <i>E mineralium spiritu extrahendo.</i> 1. | 182. |
| <i>De quinta essentia auri.</i> 2. | 184. |
| <i>Argenti.</i> 3. | 186. |
| <i>Ferri.</i> 4. | 188. |
| <i>Veneris, seu Cupri.</i> 5. | 191. |
| <i>Plumbi.</i> 6. | 197. |
| <i>Stanni.</i> 7. | 200. |
| <i>Argenti viui.</i> 8. | 203. |
| <i>Sulphuris.</i> 9. | 205. |
| <i>Salis petre.</i> 10. | 208. |
| <i>Salis communis.</i> 11. | 210. |
| <i>Vitrioli.</i> 12. | 213. |
| <i>De spiritu vitrioli ad curam Epilepsia.</i> 13. | 216. |
| <i>De quinta essentia marchasita aurea.</i> 14. | 218. |

CAPITVM.

| | |
|------------------------|------|
| Antimonij. 15. | 220. |
| Arcenici. 16. | 226. |
| Auri pigmenti. 17. | 229. |
| Rubini. 18. | 231. |
| Smaragdi. 19. | 233. |
| Lapidis magnetici. 20. | 237. |
| Margaritarum. 21. | 240. |
| Coralli rubei. 22. | 242. |
| Lapidis aquila. 23. | 244. |

LIBER QVARTVS.

| | |
|---|------|
| D e oleo rosaceo & violaceo, Nymphaeae, papaveris, hyoscyami, & mandragora. 1. | 247. |
| De oleo cydoniorum. 2. | 250. |
| De oleo myrtino. 3. | 253. |
| De oleo massichino. 4. | 254. |
| De oleo menthae & absynthij. 5. | 255. |
| De oleo Iasmino, Anethino, Rutaceo, salvia, rorismarinij & Thymi. 6. | 258. |
| De oleo liliorum alborum. 7. | 265. |
| De oleo amygdalarum dulcium. 8. | 267. |
| De oleo lumbricorum terrestrium. 9. | 270. |
| De oleo simplici mellis. 10. | 271. |
| De oleo myrrhae. 11. | 273. |
| De oleo cinnamomi. 12. | 274. |
| De oleis seminis ebuli. 13. | 277. |
| De oleo succini, seu Carabes. 14. | 278. |
| De oleo sacchari. 15. | 280. |
| De oleo lappae maioris. 16. | 281. |
| De oleo hellebori nigri vel albi. 17. | 283. |
| De oleo iithymali & latyris. 18. | 284. |

INDEX

| | |
|---------------------------------|------|
| <i>De oleo sambuci.</i> 16. | 286. |
| <i>De oleo persicariae.</i> 20. | 287. |
| <i>De oleo hypericonis.</i> 21. | 289. |
| <i>Conclusio lib. 4.</i> | 290. |

LIBER QUINTVS.

| | |
|---|------|
| Q <i>Vid per aquam intelligunt Chymici.</i> 1. | 292. |
| <i>De aqua rosacea.</i> 2. | 294. |
| <i>De aqua violarum.</i> 3. | 296. |
| <i>Papaueris.</i> 4. | 297. |
| <i>Melisse.</i> 5. | 299. |
| <i>Buglossi.</i> 6. | 300. |
| <i>Conclusio libri quinti.</i> | 301. |

LIBER SEXTVS.

| | |
|---|------|
| D <i>De syrupis in genere.</i> 1. | 302. |
| <i>De syrupo rosato laxativo arte Chymica preparato.</i> 2. | 303. |
| <i>De syrupo rosarum siccarum adstringenti.</i> 3. | 304. |
| <i>De syrupo acido simplici.</i> 4. | 306. |
| <i>De syrupo limonum.</i> 5. | 307. |
| <i>De syrupo granatorum acidorum.</i> 6. | 308. |
| <i>De syrupo, de mentha.</i> 7. | 309. |
| <i>De syrupo absynthij.</i> 8. | 311. |
| <i>Papaueris.</i> 9. | 312. |
| <i>Brionia.</i> 10. | 313. |
| <i>Aristolochia.</i> 11. | 314. |
| <i>Corallorum.</i> 12. | 316. |

LIBER SEPTIMVS.

| | |
|----------------------------------|------|
| D E pillulis mercurij. 1. | 319. |
| De pillulis antimonij. 2. | 320. |
| Vitrioli. 3. | 321. |
| Ebuli. 4. | 322. |
| Rheubarbari. 5. | 323. |
| Agarici. 6. | 324. |
| Conclusio libri septimi. | 28. |

LIBER OCTAVVS.

| | |
|--|-------|
| D E unguento rosaceo. 1. | 326. |
| De butyro saturni, quod & nutritum unguentum dici potest. 2. | 327. |
| De unguento narcotico. 3. | 328. |
| De butyro aut coagulo vitrioli & nitri. 4. | 329. |
| De coagulo antimonij & mercurij. 5. | 330. |
| De coagulo margaritarum. 6. | 331. |
| De unguento basilico maiori chymico. 7. | 332. |
| De unguento diuino chymico. 8. | 334. |
| De emplastro contra rupturam. 9. | 336. |
| De emplastro sulphuris. 10. | ibid. |
| De emplastro pro matrice. 11. | 337. |
| De emplastro vulnerario. 12. | 338. |
| De emplastro gratia Dei dicto. 13. | 340. |

INDEX CAPITVM.

LIBER NONVS ET VLTIMVS.

| | |
|--|-------|
| D e electuario rosato. 1. | 341. |
| De electuario sanguinis humani. 2. | 342. |
| De electuario margaritarum. 3. | ibid. |
| De electuario corallorum. 4. | 343. |
| De electuario gemmarum. 5. | 344. |
| De electuario alchermes. 6. | 345. |
| De theriaca chymica. 7. | 347. |
| De panchymago chymico. 8. | 350. |
| Conclusio totius Operis, in qua ostenditur quare Hippocrates & Galenus nullam habuerint chymica cognitionem. | 351. |

F I N I S.



INDEX RERVM
NOTABILIVM, ET
CVRATIONVM
in signium.

A

acetum philosoph.



RTES omnes imperfectas, & incom-
pletas esse. pag. 5

Alchimia quo tempore viguit. 7

Alchimista quis primus inter Gra-
cos. 8

Alchimia defensio. 4

Alimentum quid. 10

in Antimonio & Mercurio quid separandum. 19

Arcanum cranij humani. 26

Eiusdem vires essentia & vsus. 28

Arcanum ossium humanorum 28. vires essentia
& vsus. 29

Arcanum humanae carnis. 30. vires & vsus. 32

Arcanum urinae. 32. vires & vsus. 34

Arcanum cerui. 35. vires & vsus. 36

Arcanum viperæ. 37. vsus & vires. 38

Arcanum lupi. 39. vires & vsus. 40

Arcanum vulpeculae, vires & vsus. 41

Arcanum galbulae. 42. vires & vsus. 43

arcanum peritis

arcanum de loris arthritici

437

436

INDEX RERVM

| | |
|--|-------------------|
| Arcanum talpæ. 43. vires & vsus. | 44 |
| Arcanum hirundinum, vires & vsus. | 44. 45 |
| Arcanum perdicum, caponum, & aliarum auium, vires & vsus. | 45. 46. 47 |
| Arcanum cancrorum. 47. vires & vsus. | 48 |
| Arcanum centipedum. 48. vires & vsus. | 49 |
| Arcanum vermium. 49. vires & vsus. | 50 |
| Arcanum buffonum, vires & vsus. | 51 |
| Arcanum ranarum viridium. 52. vires & vsus. 53. | 52. 53. |
| Arcanum mofchi. 54. vires & vsus. | 55 |
| Arcanum ceræ. 56. ortus & origo. 57. vires & vsus. | 56. 57. 58 |
| Arcanum mellis. 58. vires & vsus. | 59 |
| Arcanum cornu rhinocerotis. 60. vires & vsus. 62 | 60. 62 |
| Alcis vngula vndenam curet epilepticos. eius arcanum, vires & vsus. | 63 65 |
| Arcanum arungiarum, & quid sint arungia. | 66 |
| Arcanum medullarum omnium. 67. vires. | 68 |
| Apij essentia. 109. vires & vsus. | 110 |
| Agarici essentia. 114. vires & vsus. | 116 |
| Aloës essentia, vires & vsus. eius pillulæ. | 138. 139 324 |
| Aristolochiæ rotundæ. | 154. 155 |
| Anisi. | 161. & 163 |
| Alchimix laus & potestas. | 180 |
| Auri essentia, quid, & qua ratione fiat. & vsus. | 184. vires 185 |
| Argenti etiam. | 186. 187 |
| Ferri. | 188. 190 |
| Et aliorum metallorum, vsque | 204 |
| Antimonij. | 220. 224 |

NOTABILIVM.

| | |
|--|---------|
| eius pillulæ. | 320 |
| coagulum. | 330 |
| Arcenici. | 226.227 |
| Auripigmenti. | 229.230 |
| Aquilæ lapidis. | 244.245 |
| Aqua chymicorum, quæ sit. | 292 |
| Aqua pluuiialis, quid sit. | 293 |
| Absynthij syrupus, vires, vsus & dosis. | 311 |
| Aristolochiæ syrupus, vires, vsus & dosis. | 314 |
| Alchermes electuarium, vires & vsus. | 345.346 |
| <i>Antimonium suum (ident auctoris)</i> | 360 |

B

| | |
|--|-----|
| <i>Bubulum Saturni resig. pro extirpal.</i> | 425 |
| B Rassicæ marinæ essentia. 101. vires & vsus. | |
| 102. | |
| Buglossi aquæ extractio, vires, vsus & dosis. | |
| 300. 301 | |
| Brioniæ syrupus, vires, vsus & dosis. | 313 |
| Basilici vnguenti maioris chymici. | 332 |

C

| | |
|--|---------|
| <i>Conserva vitæ</i> | 409.434 |
| C Æli agunt in inferiora. | 20 |
| Cornua animalium, vndè sunt, & vngues. | 60 |
| Chelidoniij essentia. 76. vires & vsus. | 76 |
| Cucumeris agrestis essentia, vires & vsus. | 90.91 |
| Centaureæ essentia, vires & vsus. | 99 |
| Colocynthidos essentia, 107. vires & vsus. | 108 |
| Cinnamomi. | 164.165 |
| Cariophyllorum. | 168.169 |
| Cupri seu veneris. | 191.195 |
| Coralli rubei essentia, vires & vsus, quo modo soluatur & fiat eius sal rubeus. | 242.243 |

INDEX RERVM

| | |
|---|---------------|
| eiufdem fyrupus. | 316 |
| Corallorum electuarium, vires & vſus. | 343. 344 |
| Curatio mania & gangraenæ. | 359 |
| Curatio gangraenæ & melancholia. | 361 |
| Curatio febris quartanæ. 403. & quotidiana. | 362. 444. |
| Schirroſi tumoris & mania. | 363 |
| Curatio ſuffocationis, Epileptici inſultus; & palli- di coloris & aliorum. | 367 |
| Curatio melliceridis tumoris in palpebra ſupe- riori oculi dextri. | 364 |
| Curatio pleuritidis. | 364. 365. 411 |
| Curatio alia febris quartanæ. | 365. 373 |
| Curatio histericæ paſſionis. | 369 |
| Curatio calculi renum. | 371 |
| Curatio febris heſtica, & gonorrhæ. | 372 |
| Curatio fiſtulæ teſticuli dextri. | 374. 398. 444 |
| Curatio faciei vſtæ à puluere tormentario. | 375 |
| Curatio gonorrhæ virulentæ. | 376 |
| Curatio carnoſæ ſubſtantia in meatu vrinario ad- natæ. | 376 |
| Curatio quartanæ duplicis. | 377 |
| o alterius quartanæ. | 420 |
| Curatio quartanæ & icteri nigri. | 378 |
| Curatio febris malignæ. | 447 |
| Curatio febris peſtilentis. | 379 |
| Curatio variorum vlcerum per totum corpus. | 380 |
| Curatio lupi. | 381 |
| Curatio herpetis totam manum occupantis. | 382 |
| Curatio herpetis profundi & alterius. | 383. 384 |
| Curatio dyſenteria. | 384. 385. 386 |
| Curatio febris heſtica. | 387. 388 |
| Curatio vulneris ab icu enſis in cubito dextro | |

NOTABILIVM.

| | |
|---|-------------|
| recepti. | 389 |
| Curatio cholerae morbi. | ead. |
| Curatio boulimi, seu famis caninae. | 391 |
| Curatio cari. | 392 |
| Curatio lethargi. | 393 |
| Curatio doloris ventriculi. | 394 |
| Curatio suffocationis vteri. | 395 |
| Curatio apoplexiae & paralyfis. | 395 |
| Curatio epilepsiae. | 399 |
| Curatio suffusionis & cataractae. | 400 |
| Curatio vngulae. | 401 |
| Curatio carbunculi pestilentis. | 401 |
| Curatio schirri. | 402 |
| Curatio febris pestilentis cum nausea perpetua, & vomitu in muliere praegante. | 404 |
| Curatio surditatis, & difficilis auditus, & doloris aurium. | 405.406.407 |
| Curatio tussis inueteratae. | 408 |
| Curatio difficultatis anhelitus. | 409 |
| Curatio anginae. | 409 |
| + Curatio vlcerati gutturis & laryngis. | 410 |
| Curatio peripneumoniae. | 411 |
| Curatio deprauati appetitus, seu piccae. | 413.414. |
| 415 | |
| Curatio lienteriae. | 415 |
| Curatio hepatici fluxus. | 416 |
| Curatio schirri lienis. | 416 |
| Curatio icteri. | 417 |
| Curatio hydropis. | 418 |
| Curatio icteri viridis cum grauissimis symptoma- tis. | 420 |
| Curatio febris syncopalis. | 421 |
| Curatio colici doloris. | 422 |

INDEX RERVM

| | |
|---|---------|
| Curatio hæmorrhoidum cancrofarum. | 424 |
| Curatio fluxus sanguinis renum. | 425 |
| Curatio scabiei vniuersæ, febri lenta sociatæ. | 426 |
| Curatio arthritidis. | 427 |
| Curatio atrocissimi doloris ventriculi & inappetitæ. | 428 |
| Curatio molæ, apud Tholosates. | 429 |
| Curatio disuriæ. | 432 |
| Curatio primæ mania. | 433 |
| Curatio vertiginis. | 434 |
| Curatio doloris schiatici. | 435 |
| Curatio febris erraticæ. | 436 |
| Curatio syncopes. | ibid. |
| Curatio catarrhi. | 437 |
| Curatio morbillorum. | 438 |
| + Curatio luis venereæ & lepræ. | 439 |
| Curatio tumorum œdematosorum, circa cerebri emunctoria. | 440 |
| Curatio lumbricorum. | 441 |
| + Curatio luis venereæ in infantulo anno vno nato. | 441 |
| Curatio veneni incantamento sumpti. | 442 |
| Curatio scrofularum. | 445 |
| Curatio tumoris scirrhusi. | 446 |
| Curatio erysipelatis. | 446 |
| Conclusio Centuriæ curationum. | 447-448 |
| <i>Crocus, metallus. quid sit</i> | 372 |

E

| | |
|--|-------|
| E pilepsiæ curatio vngula alcis, eius origo vndè. | 63.64 |
| Ebuli essentia, vires & vsus. | 96.97 |
| eius pillulæ. | 322 |

NOTABILIVM.

| | |
|--|------------------|
| Emplastrum contra rupturam, vires & vsus. | 335 |
| Emplastrum, gratia Dei, dictum. | 340 |
| <i>Emplastr. paracelsi contra Scrophulas</i> | |
| <i>et oedemata omnia - F. - - - - -</i> | <i>441. 445</i> |
| <i>emplastr. Sulphur. - - - - -</i> | <i>337 - 367</i> |
| F ormarum differentia quid faciat. | 13 |
| F errum quomodo præparandum. | 22 |
| Fistularum cura. 50. 398. <i>vide Curatio.</i> | |
| Ferri essentia, vires & vsus. | 188. 190 |

G

| | |
|---|----------|
| G utta gamba, quid, & cur sic dicta. | 131 |
| eius essentia, vires & vsus. | 132. 134 |
| Gattariæ seu nepetæ. | 150. 152 |
| Gummi caranna, quid sit. | 170 |
| eius essentia, vires & vsus. | 172. 173 |
| Granatorum acidorum syrupi extractio, vires, vsus & dosis. | 308 |
| Gemmarum electuarium, vires, vsus & dosis. | 344 |

H

| | |
|---|----------|
| H ipocrates cur ignarus fuerit artis spagy- ricæ. | 7 |
| Hellebori essentia. 77. vires. | 79 |
| Halicacabi essentia, vires & vsus. | 81 |
| Hyoscyami. | 156. 158 |

I

| | |
|---------------------------------------|-----|
| I alap essentia, vires & vsus. | 137 |
|---------------------------------------|-----|

INDEX RERVM

Lapidum omnium, quo modo essentia extra-
hatur. 246

Limonum syrupi extractio, vires, vsus & do-
sis. 307. 308

M

magnez arsenical praeparata in oscul. 445

Medicamentorum spagyricorum laus. 8

Medicina quid. 10

Medicus chymicus ad quid vergat. 11

Medicamentum quid sit. 12

Medicamentum morbo contrarium esse debet,
non naturæ. ead.

Medicamentum est purum naturæ. ead.

Medicamentum qua ratione differat ab alimento
& veneno. 14

Medicamenta chymica qua ratione cæteris præ-
stant. 15

in Medicamentis purgantibus quæ lateant sub-
stantiæ contrariæ. 16

Medicamenta chymica non perturbant natu-
ram. 18

Mirabolanorum essentia. 128. vires & vsus. 130

Mechoacam essentia. 135. vires & vsus. 136

Melissæ essentia, vires & vsus. 140. 143

& eius aquæ dosis. 299

Menthæ. 144. 46

eius syrupus. 309

Myrrhæ & thuris. 178. 179

Mineralium spiritus quid. 182

Metallo-

NOTABILIVM.

| | |
|--|---------|
| Metallorum sal. | 183 |
| Mercurij essentia, vires & vsus, & quomodo soluatur. | 203.204 |
| eius pillulæ. | 319 |
| Marchasitæ aureæ. | 218.219 |
| Magnetis, & quomodo soluatur. | 237.238 |
| Margaritarum. | 240.241 |
| earumdem electuarium. | 342 |
| earumdem syrupus. | 317 |
| coagulum. | 331 |
| Matricis emplastrum, | 337 |
| <i>modus extrahendi empireuma</i> | 120.123 |

N

| | |
|---|---------|
| N epetæ seu Gattariæ essentia, vires & vsus. | 150.152 |
| Nucis moschatæ. | 166.167 |

O

| | |
|---|--------------------------|
| O leum rosaceum, violaceum, nymphææ, papaueris, hyoscyami, & mandragoræ, quomodo fiat. | 247 |
| eorum vires & vsus. | 249 |
| Oleum cydoniorum, vires & vsus. | 250.252 |
| Olei myrtini. | 253 |
| Olei mastichini. | 254 |
| Olei mentæ & absinthij. | 255.256.257 |
| Olei iasmini, anethini, rutacei, saluiæ, rorismarini, & thymi. | 258.259.260.261.262.263. |
| 264 | |

INDEX RERVM

| | |
|---|------------|
| Oleum liliorum alborum, quomodo fiat. | 265 |
| vires, vsus & dosis. | 266 |
| Oleum amygdalarum dulcium variè extrahitur, & quomodo, vsus & vires. | 267.268 |
| Olei lumbricorum terrestrium. | 270 |
| Olei mellis simplicis. | 271.272 |
| Olei myrrhæ. | 273.274 |
| Olei cinnamomi. | 275.276 |
| Olei seminis ebuli. | 277 |
| Olei succini, seu carabes. | 278.279 |
| Olei sacchari. | 280 |
| Olei lappæ maioris. | 281.282 |
| Olei hellebori nigri vel albi. | 283 |
| Olei thytimali & latyris. | 284.285 |
| Olei sambuci. | 286 |
| Olei persicariæ. | 287 |
| Olei hypericonis. | 89 |
| <i>Oleum tartar. respondet humori melanch.</i> | <i>392</i> |

P

| | |
|--|---------|
| P Vrum paruum in natura. | 10 |
| P æoniæ florum tinctura, vires & vsus. | 87 |
| Pepli essentia, vires & vsus. | 105.106 |
| Papaucri. | 156.158 |
| Papaueris aquæ extractio, dosis, vsus & vires. | |
| 297.299 | |
| eius syrupus. | 312 |
| Panchymagogum chymicum, eius vires & vsus. | |
| 350 | |
| Plumbi. | 197.198 |

NOTABILIVM.

R

| | |
|--|----------|
| R osarum essentia, 82. vires & vsus. | 83 |
| R osarum tinctura. 84. vires & vsus. | 86 |
| R heubarbari essentia. 110. vires & vsus. | 113 |
| eius pillulæ. | 323 |
| R ubini. | 231. 232 |
| R osarum aquæ. | 294. 295 |
| R osarum syrupus laxatiuus chymicus. | 303 |
| eius vires, vsus & dosis. | 304 |
| R osarum siccarum syrupus astringens, vires & vsus. | 305 |
| earumdem vnguentum. | 326 |
| electuarium, vires, vsus & dosis. | 341 |

S

| | |
|--|--------|
| <i>Sal vitrioli</i> | 321 |
| S cientia in dies notior cur fiat. | 9 |
| S piritibus omnia verè abundant. | 21 |
| S anguinis arcanum. 22. vsus & vires. | 25. 26 |
| electuarium. | 342 |
| S aliua hominum, cur serpentes necat. | 61 |
| S piritus vegetantium qua methodo extrahantur. | 71 |
| S al volatile qua methodo. | 73 |
| S ulphur, sal, & mercurius in omnibus rebus sunt. | 74 |
| S al fixum vegetantium qua ratione eliciatur. | 75 |
| S erpentariæ florum tinctura, vires & vsus. | 88. 89 |
| S ambuci essentia, vires & vsus. | 93. 94 |
| S enæ essentia. 118. vires & vsus. | 120 |

INDEX RERVM

| | |
|--|-------------|
| Scammonij essentia. 125. vires & vsus. | 127 |
| Sal metallorum. | 183 |
| Stanni essentia, vires & vsus. | 200.202 |
| Sulphuris. | 205.207 |
| eiusdem emplastri. | 336 |
| Salis petræ. | 208.209 |
| Salis communis. | 210.211 |
| Smaragdi & quo modo soluatur. | 233.234.235 |
| Syrupi quid sunt. | 302 |
| Syrupus acidus chymicus. | 306 |
| Saturni butyrum, vires & vsus. | 327.328 |
| <i>Spirit. acid. mercur.</i> | 372 |
| <i>Syrup. corallor.</i> T | 415 |
| T | |
| Ithymalorum essentia. 79. vires & vsus. | 80 |
| Turbit essentia. 123. vires & vsus. | 124 |
| Thymi. | 148.149 |
| Therebentinæ, & quid sit. 174.175.176. & 177 | |
| Thuris & myrrhæ. | 178.179 |
| Theriaca chymica, & quæ expensæ sint in ea necessariæ, eius vires & vsus incredibilis. | 347. |
| 348 | |
| V | |
| V | |
| Enenum quid. | 13 |
| Vngues animalium, vndè sunt. | 60 |
| Vitæ fomes qualis sit in plantis. | 71 |
| Vegetantium spiritus, qua methodo extrahantur. | |
| ibid. | |
| Violarum tinctura & vires. | 88 |
| Vitriolum quid, & quomodo dicatur sal metallorum. | 183 |

NOTABILIVM.

| | |
|---|---------|
| Vitrioli essentia, vires & vsus. | 213.215 |
| cuius pillulæ. | 321 |
| Vitrioli spiritus viridis. | 216.218 |
| Violarum aquæ extractio, dosis, vsus & vires. | |
| 296.297 | |
| Vitrioli butyrum & nitri. | 329 |
| Vnguentum diuinum chymicum. | 334 |
| Vulnerarium emplastrum. | 338 |

FINIS.

DE FONTAINES



EXTRAICT DV PRIVILEGE
DV ROY.


PAR grace & priuilege du Roy du vingt-quatriesme Ianuier 1624. sceelé du grand seau en cire jaune, signé par le Conseil DE FONTAINES. Il est permis à PIERRE BOSCO, Marchand Libraire juré en Tolose, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & distribuer par tout son Royaume, vn liure intitulé *Myrothecium Spagyricum*, seu *Pharmacopœa Chymica*. Auctore PÉTRO IOANNE FABRO, *Castrinonidarensi Doctore Medico, ac Philosopho Monspeliensi*, sans que autre que ledit Bosc, ou ayans droit de luy, le puissent imprimer ou faire imprimer, vendre ou distribuer, iusques au terme de dix ans, à compter du jour & date de l'impression dudit liure finie: & ce sur peine de confiscation des exemplaires qui seront trouuez auoir esté contrefaits sur l'impression dudit Bosc, & d'amende arbitraire.

Par le Conseil,

DE FONTAINES.

Acheué d'imprimer le dixiesme de Feurier mil six cens vingt & huit, par NICOLAS D'ESTEY.





Fabre (Pierre Jean)

Myrothecium spagyricum; sive
PHARMACOPOEA | CHYMICA |
occultis Naturæ arcanis, ex Hermeticorum
Medicorum sereniss de promptis abunde
illustrata - Colosseæ vectoragum.
apud Petrum Bosc Bibliopolum -
M.DC. XXVIII.

[Im. fine.] achevé d'imprimer le 21^e décembre
de février, mil six cent vingt et huit,
par Nicolas d'Estey. -

marque de P. Bosc - sur le titre
à la page 353 - & quoique le vol. soit
à pagination continue [448. jusqu'à la table
qui n'est pas paginée] un autre titre proleptique
avec beau fleuron sur bois -

Insignes, Curationes, Variorum
Morborum, quot medicamentis chymicis
incundissima methodo curavit

P. Bosc M.DC. XXVIII.

in 8.

I. d.

Le livre est fort rare.



B.F.P.

ber y medicum sp

~~Spagyricum - color~~

~~Spagyrica color~~

~~actiones color~~

~~Spagyricum color~~

~~instans color~~

~~chymicus color~~

~~chymicus~~

~~Spagyricum~~

~~Alchemicol~~

~~seu anatonia~~

~~opus~~

N. D. Wiley